SACRAE
THEOLOGIAE SPECULATIVAE
INSTITUTIONES

A BLASIO PANZUTI
CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

CLERICIS JUVENIBUS
EJUSDEM PRAESERTIM CONGREGATIONIS PROPOSITAE

VOLUMEN III.

COMPLECTENS TRACTATUS DE TRINITATIS MYSTERIO.

NEAPOLI,
EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA
MDCCCXXIX.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Oseae c. 4. v. 6.

Esto, o Doctor, quasi Beseleel (Exodi 36.), et pretiosas Divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. . . . Eadem tamen, quae didicisti, doce; ut, quum dicis nove, non dicas nova. Vincentius Lyrinensis in Commonitorio.

CONSPECTUS

HUJUS III. VOLUMINIS.

LIBER III.

De Trinitatis Mysterio.

TRACTATUS I.

IN QUO, EXPOSITIS NATURA, ALTITUDINE, ET COGNITIONE OLIM HABITA, AC MODO HABENDA HUJUS MYSTERII, DIVINARUM PERSONARUM TRINITAS IN UNITATE ESSENTIAE, EARUMQUE SINGILLATIM DIVINITAS DEMONSTRATUR. 1

CAP. I. = *De expositione Mysterii Trinitatis.* . . 2
CAP. II. = *De Trinitatis Mysterii altitudine supra omnem naturalis rationis aciem, sive praecisa, sive etiam supposita ejus revelatione.* 6
Prop. *Nec praecisa, nec etiam supposita Mysterii, de quo loquimur, revelatione, illud sola ratione naturali demonstrari potest. Ita communiter* . . . . *ibid.*
Solvuntur Objectiones. 9
CAP. III. = *De cognitione Mysterii Trinitatis olim habita per Dei revelationem; nec non de eius fide modo habenda.* 14
Prop. I. *Trinitatis Mysterii cognitio ante Christi adventum habita per revelationem fuit distincte a Judaeorum Patriarchis, Prophetis, ac Viris Sanctitate conspicuis; subobscure a Legis peri-*

tis; sapienter vero communi Judaeorum vulgo denegata. Ita communiter. . . . . *ibid.*
Prop. II. *Fides explicita tum in Mysterium Trinitatis, tum in Christum, tamquam verum Deum, et Deo Patri consubstantialem, necessaria semper fuit post sufficientem Evangelii promulgationem ad salutem assequendam. Ita communiter.* 16
Cap. IV. = *De Trinitate Divinarum Personarum in Unitate Essentiae.* 19
Prop. *Adsunt tres Personae Divinae realiter inter se distinctae; quae tamen unam, eamdemque numero Essentiam habent. Est de fide.* 24
Probatur 1.° *ex Scripturis.* . . . . *ibid.*
Probatur 2.° *ex Patribus.* 37
Probatur 3.° *ex Symbolis fidei.* 39
Solvuntur Objectiones. 40
Cap. V. = *De Consubstantialitate Verbi Divini; ubi et de Christi Divinitate.* 52
Prop. I. *Christus suae e Beata Virgine nativitati, ac toti Mundo praeextitit. Est de fide.* . . . *ibid.*
Prop. II. *Christus Dominus noster verus, et Summus est Deus. Est de fide, ac nostrae fidei caput, supremumque objectum* 57
Probatur 1.° *ex Scripturis. Et* 1.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Christo augustissimum Dei Nomen in sensu proprio tribuitur.* . . . . *ibid.*
Probatur 2.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Christo tribuitur Dei Natura.* 67
Probatur 3.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Christus dicitur Deo Patri consubstantialis.* . 69
Probatur 4.° *ex illis Scripturae locis, in quibus vere, et natura dicitur Dei Filius.* 72
Probatur 5.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Attributa, quae nonnisi uni, vero, ac Summo Deo convenire possunt, Christo tribuuntur.* . 76
Probatur 6.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Christus dicitur cultu supremo, ac Deo soli debito colendus.* 78
Probatur 7.° *ex Traditione Patrum Antenicaenorum.* 80
D. Clemens. 84
D. Ignatius M. . . . . *ibid.*

D. Polycarpus M. 85
D. Justinus M 86
Athenagoras. 88
D. Theophilus Antiochenus. 89
D. Irenaeus M. . . . . *ibid*
Clemens Alexandrinus. 91
Tertullianus. 92
D. Gregorius Neocaesariensis. 94
D. Dionysius Alexandrinus. . . . . *ibid.*
D. Methodius M. 95
D. Athanasius. 96
Probatur 8.° *ex definitione Ecclesiae.* 98
Iudicium de fide Origenis. 99
Iudicium de fide Eusebii Caesariensis. 100
De Liberio, Osio, et Patribus Ariminensibus. . . . 102
Solvuntur Objectiones. 105
CAP. VI. *De Personalitate, ac Divinitate Spiritus Sancti.* 123
Prop I. *Spiritus Sanctus vera est Persona. Est de fide.* . . . . *ibid.*
Solvuntur Objectiones. 125
Prop. II. *Spiritus Sanctus verus, ac summus est Deus. Est de fide.* 127
Probatur 1.° *ex Scripturis; Et* 1.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Spiritui Sancto augustissimum Dei Nomen in sensu proprio tribuitur.* . *ibid.*
Probatur 2.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Attributa, quae nequeunt, nisi de Deo praedicari, Spiritui Sancto tribuuntur.* 130
Probatur 3.° *selectis aliis Sacrarum Litterarum testimoniis.* 131
Probatur 4.° *ex Traditione Patrum, qui ante Nicaenum Concilium floruerunt.* . . . . *ibid.*
Probatur 5.° *ex definitione Ecclesiae.* 132
Solvuntur Objectiones . . . . 133.

TRACTATUS II.

DE ADNEXIS TRINITATIS MYSTERIO.

CAP. I. = *De existentia, principio, ac numero Divinarum Processionum.* 140
Prop. I. *Dantur in Deo processiones ad intra, seu immanentes. Est de fide.* 143

Solvuntur Objectiones. 144
Prop. II. *Principium quo proximum Divinarum Processionum dicenda non est Natura Divina. Ita communiter contra Durandum.* 148
Prop. III. *Principium quo proximum Divinarum Processionum neque etiam dicendae sunt relationes originis. Ita saltem communius.* 151
Prop. IV. *Principium quo proximum Divinarum Processionum sunt in Deo intellectus, et voluntas, quatenus adjunctas habent relationes paternitatis, et spirationis activae, velut meras conditiones, quin scilicet habeant vel ipsam comprincipii rationem. Ita etiam communius.* . 152
Solvuntur Objectiones. 155
Prop. IV. *Duae sunt tantum in Deo Processiones, scilicet Filiatio, et Spiratio passiva. Est de fide.* 159
Solvuntur Objectiones. 157
CAP. II. = *De Divinis Processionibus singillatim; seu de processione Filii a Patre, et de processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio.* . 159
Prop. I. *Filius procedit a solo Patre. Et quidem simpliciter ex cognitione, qua Deus Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitatem; nec non creaturas omnes sive possibiles, sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras. Prima pars est de fide; altera vero videtur nobis verisimilior.* 165
Solvuntur Objectiones. 166
Prop. II. *Spiritus Sanctus procedit a Patre simul, et Filio. Et quidem ex amore, quo Pater, et Filius necessario diligunt Divinam Essentiam, ejusque Attributa, et Personarum Trinitatem, libere vero creaturas sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras. Prima pars est de fide; altera saltem nobis verisimilior.* 170
Solvuntur Objectiones. 175
Prop. III. *Pater, et Filius non duplex, sed unum sunt, ac per unicam spirationem Spiritus Sancti principium. Est quoque de fide.* 179
Prop. IV. *Recte, ac legitime fuit particula* Filioque

Constantinopolitano Symbolo adjecta. Ita omnes Catholici. 180
Prop. V. *Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, neque etiam ab illo realiter distingueretur. Ita communius contra Scotistas.* . . . 182
Solvuntur Objectiones. 183
CAP. III. = *De ratione, cur processio Filii dicatur, et sit generatio; processio autem Spiritus Sancti simplex processio.* 186
Prop. I. *De fide est, differre processionem Filii a processione Spiritus Sancti. At quodnam sit inter utramque discrimen, datum creatae menti non est, omni seposita obscuritate, explicare.* 187
Prop. II. *Richardi, et Alensis opinatio prorsus videtur rejicienda. Ita fere communiter.* . . 189
Prop. III. *D. Thomae opinatio fulcimento tum auctoritatis, tum rationis non exiguo nititur.* . 190
Solvuntur Objectiones. 192
CAP. V. = *De Divinis Relationibus.* 194
Prop. I. *Relationes originis sunt in Deo reales. Ita communiter.* 196
Solvuntur Objectiones. 197
Prop. II. *Praefatae originis relationes sunt substantiales, et necessariae. Ita etiam communiter.* . 198
Prop. III. *Eaedem originis relationes, si accipiantur* concrete, *tres tantum sunt, scilicet Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva. Si vero* abstracte, *sunt quatuor, tres praedictae scilicet, et spiratio activa. Ita quoque communiter.* 199
Prop. III. *Relationes, de quibus loquimur, non distinguuntur realiter ab Essentia Divina, nec ab Attributis absolutis; utique tamen ab iis distinguuntur formaliter. Quod et dicendum de spiratione activa respectu Paternitatis, et Filiationis. Prima pars est de fide; altera nobis verisimilior.* 200
Solvuntur Objectiones. 202
Prop. IV. *Relationes Paternitatis, Filiationis, et Spirationis passivae sunt formae hypostaticae, per quas Personae Divinae constituuntur. Ita fere communiter.* 205

Solvuntur Objectiones. 206
Prop. V. *Divinae Relationes, de quibus egimus, veri nominis perfectiones dicendae sunt. Ita communiter.*
Cap. VI. = *De Notionibus Divinis ; nec non Missione unius Personae ab alia , earumque Circuminsessione.* 210
Prop. I. *Admittendae sunt in Deo Notiones ; nec plures , vel pauciores , quam quinque, idest innascibilitas , paternitas , filiatio , spiratio activa , et spiratio passiva. Prima est communis ; altera fere communis.* 213
Solvuntur Objectiones. 214
Prop. II. *Datur Missio in Divinis unius Personae ab alia ; eaque proprie , ac stricte sumpta esse nequit , nisi Filii a Patre , et Spiritus Sancti a Patre , et Filio. Est de fide.* 215
Solvuntur Objectiones. 216
Prop. III. *Simul cum Trinitate Personarum earum circuminsessionem fides credendam proponit.* . 217

TRACTATUS III.

De cautione adhibenda in loquendo de Trinitatis Mysterio.

Cap. I. = *An praedicandae de Deo sint tres subsistentiae relativae , et una absoluta tribus Personis communis ; etiamque tres existentiae relativae , et una absoluta.* 219
Prop. I. *Totidem in Divinis praedicandae sunt subsistentiae relativae, quot Personae. Nulla tamen subsistentia absoluta Naturae respondens. Prima pars est de fide. Altera communior.* 220
Solvuntur Objectiones contra 2. partem . 222
Prop. II. *Nihil obstat , quin in Divinis dicamus tres existentias relativas , et unam absolutam. Ita nobis verisimilius cum Tourn., etc.* . . . 223
Solvuntur Objectiones: 224
Cap. II. = *De quibusdam regulis generalibus, ne erretur in loquendo de Trinitatis Mysterio.* . 225

LIBER III.

DE TRINITATIS MYSTERIO.

TRACTATUS I.

In quo expositis natura, altitudine, et cognitione olim habita, ac modo habenda hujus Mysterii, Divinarum Personarum Trinitas in unitate essentiae, earumque singillatim Divinitas demonstratur.

Ineffabile Sanctissimae Trinitatis Mysterium, de quo D. Aug. l. 1. de Trin. c. 3. ait, quod *nec ullibi periculosius erratur*, *nec aliquid laboriosius quaeritur*, *nec quidquam fructuosius invenitur*, hujus tertii Theologiae libri profundissimum argumentum est. Circa quod cum tot ab ipso Ecclesiae exordio haereses exortae fuerint, Arianorum nempe, Sabellianorum, Macedonianorum, aliaeque id genus, nemo non videt, quam sit Theologo necessarium rectam de eo notionem adipisci; non quidem quae ejus profunditatem metiatur; ut enim citato loco ait laudatus S. D. L. 15. c. 16., *quis disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi, atque potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet . . . quomodo sit Trinitas?* sed quae id, quod fides de eo docet, firmiter teneat, et neque ad dexteram, neque ad sinistram declinando, profiteatur. Trinitas autem hoc Mysterium appellatur, scribit Petavius, *non qua tres in Deo Personae unum sunt, sed qua numerabiles sunt*. Praeiverat Magister Sententiarum l. 1. Dist. 22.; *Trinitas* (inquiens) *est unum nomen, quod de* [illegible] *Persona singillatim dicitur, sed de omnibu*[illegible] *non dicitur secundum substantiam, sed* [illegible] *tem designat Personarum.*

CAP. I.

De expositione Mysterii Trinitatis.

Cum omnis de quavis re sermo ab ejus notione debeat auspicari, in quo idcirco positum sit Mysterium Trinitatis, de quo agendum suscepimus, operae pretium est primum omnium exponere. In eo igitur illud positum est, quod tres Personae Divinae, idest Pater, Filius, et Spiritus Sanctus realiter inter se distinguuntur, et simul unam, eamdemque numero essentiam, naturam, ac substantiam habent. Hic quid per essentiam, naturam, substantiam, personam significetur, necesse est explicare, ne (ut ait D. Hilarius l. de Synodis) *de rebus loquuti, rem verborum nesciamus.*

Et 1.° quoad essentiam, *ab eo* (ait D. Aug. l. 7. de Trin. c. 5.), *quod est esse, appellatur essentia.* Sive, ut passim definitur, *id, per quod res est praecise haec res, et non alia*; quare et accidentia, et modificationes suam quoque dicuntur habere essentiam. Per naturam vero idem fere ac essentia, saltem apud veteres, intelligitur, *omnium scilicet attributorum complexio, qua res in certo quodam ordine entium constituitur.* Per substantiam demum *res, quae independenter ab omni inhaesionis subjecto per se existit, seu in existendo non pendet ab alio tamquam subjecto.* Tria autem haec, essentiam nempe, naturam, ac substantiam, una simul conjunximus, quia in Divinis unum, idemque significant, procul enim a Deo ex ostensis l. ant., ubi de ejus simplicitate, accidentia, et modificationes, quae caeterum suam quoque dicuntur naturam, atque essentiam habere; quare et notio substantiae pro eo, quod substat accidentibus, procul quoque a Deo amandanda est. Item diximus, tres Personas Divinas unam, eamdemque numero essentiam, naturam, substantiam habere; non enim eam, quemadmodum in humanis, unum, eamdemque habent specie, sed unam, eamdemque habent numero, ob quam unitatem tres Personae Divinae unum sunt; dumque realiter inter se distinguuntur sub ratione Personae, essentia tamen, natura, substantia cujusvis Personae ab alterius essentia, natura, ac substantia nullatenus distinguitur, sed sunt una Divinitas, unus Deus. Hinc in Concilio Florentino sess. 18. Joannes nomine Latinorum

ait de Natura Divina, *quae cum una numero sit, idcirco non ea ratione communis dicitur esse, qua est humanitas, sed rationem communis tantum habet communis, quatenus communicabilis est.* Ceterum (pergit) *realem identitatem naturae manere in unaquaque Persona.*

Non defuerunt quidem ex Veteribus, qui tres Personas Divinas dicerent tres substantias, quia nempe substantiam pro hypostasi, seu persona accipiebant. Ita sane D. Greg. Nyssaenus orat. catech. c. 1., ubi: *Pietatis ratio scit etiam aliquam hypostaseon, seu substantiarum, ac personarum cernere differentiam in unitate naturae.* Item D. Epiphanius haeresi 69. *Cum sint tres perfectae substantiae, una vero Deitas Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ac ita etiam alii. Cautum tamen deinde fuit, ne umquam substantia sumeretur in Divinis, nisi pro natura, et essentia; ac proinde etiam, ne tres Personae Divinae dicerentur plures substantiae, sed unica, prout unica est in tribus Personis Divinis natura, et essentia: *Quis rogo* (ita hac super re D. Hieron: ep. 57. ad Damasum) *ore sacrilego tres substantias praedicabit?* Quod et advertens D. Aug. l. 5. De Trin. c. 9. *Quia nostra* (inquit) *consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam, tres substantias, sed unam essentiam, vel substantiam.* Idem repetit l. 7. cap. 4., et 5.; idemque prius quoque sanciverat Concilium Sardicense in epistola Synodica apud Theodoretum l. 2. hist. c. 8. illis verbis: *Cohors haereticorum contendit, diversas esse substantias Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, pronunciens et eas esse divisas. Nos autem hanc habemus Catholicam, Apostolicamque Traditionem, et fidem, atque confessionem, unam esse substantiam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Ad notionem personae, quae paullo difficilior est, gradum modo faciamus. Intelligitur per personam *substantia rationalis complete existens, ac alteri sub tali ratione, ipsius personae scilicet, incommunicabilis.* Complete autem existere significat, nec cum altera tali ratione uniri, ut ex hujusmodi unione perficiatur, nec habitudinem ad aliam habere, ut suarum perfectionum totalitate gaudeat. Hinc, ut exemplo rem magis declaremus, unica est in Christo persona, eaque Verbi Divini, tum

quia ex unione in Christo Naturae Divinae cum humana, haec quidem innumeras perfectiones e Divina hausit, at non e converso; tum quia natura Divina Verbi nullam habebat habitudinem ad Naturam humanam, ut suarum perfectionum totalitate gauderet. Sic etiam in homine, neo anima, nec corpus, si seorsim sumantur, habent personae rationem, tum quia sibi invicem perfective uniuntur, tum quia ad se invicem habitudinem dicunt, ut suarum perfectionum totalitate gaudeant.

Huc quoque pertinet quaestio, an dicendae in Deo sint tres hypostases, vel una hypostasis? Et sane ratam non fuisse, ac fixam apud Veteres vocis hypostaseos significationem, ex eorum testimoniis compertum est; aliis cum Meletio dicentibus in Deo tres hypostases, quia pro hypostasi accipiebant personam; aliis cum Paulino unam in Deo dicentibus hypostasim, quia pro hypostasi accipiebant naturam. Meletio autem adhaerebant D. Basilius, uterque Gregorius, Nazianzenus scilicet, et Nyssenus, aliique ferme Orientales. Paulinum vero sequebantur D. Athanasius, D. Epiphanius, omnesque fere Occidentales. Donec dissidium, quod adeo exarserat, ut Catholici Praesules sibi mutuo ex utraque parte haereseos notam affigerent, tandem in Concilio Alexandriae habito sub D. Athanasio sedatum fuit, agnitumque, nonnisi tantum de voce totam fuisse altercationem, quemadmodum D. Gregorius Nazianz. illis verbis testatur: *Diversae fidei speciem praebuit levis, et jejuna de vocum sono altercatio. Hinc et Sabellianismus, et Arianismus excogitatus est* (ob unam scilicet, vel tres hypostases), *quorum utrumque pertinax contendendi studium effinxerat* (*In orat. De laud. Athan.*). Quidquid autem Veteres senserint, de quibus scribit Petavius, quod ante dissidium Antiochiae exortum frequentissime apud eos hypostasis reperitur pro natura, et essentia, rarissime pro persona (l. 4. de Trinit. c. 10.); quidquid, inquam, veteres senserint, nemini deinde licuit hypostasim pro natura, seu essentia sumere: unam namque *personae* significationem ei tribuendam esse, sanxit Concilium Constantinopolitanum I. in epistola Synodica, quam ad Damasum, aliosque Episcopos Romae congregatos scripsit, unam, inquiens, credendam esse ex Baptismi forma, quam Christus nos docuit, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti naturam *in tribus perfectis hypostasibus.*

Item Concilium Chalcedonenense, unam, inquiens in expositione fidei, in Christo esse hypostasim; ubi per hypostasim personam intellexisse, ex eo evidenter patet, quod duas simul in Christo esse Naturas contra Eutychetem declaravit. Quod et demum colligitur ex Concilio tum Constantinop. II. can. 5., tum Constantinop. III. in expositione fidei.

Tandem non abs re erit voces quoque suppositi, ac subsistentiae hic paucis declarare. Et quoad 1.m, in eo suppositum, quod graeco nomini *hypostasis* quoad etymon respondet, à persona distinguitur, quod personae nomen solis tribuitur substantiis ratione praeditis, ut Deo Angelis, et hominibus; nomen vero suppositi substantiis irrationalibus. Ita saltem apud recentiores; occurrit enim aliquando inter Veteres, quod suppositum, et persona promiscue sumantur; ut cum D. Ambrosius ait de Anima humana a Verbo Divino assumpta: *Hanc pro totius humani generis salute in unitate suppositi assumpsit.*

Quoad alterum vero, advertendum est, aliud per existentiam, aliud per subsistentiam significari; per existentiam enim intelligitur rei actualitas, seu ejus positio extra merae possibilitatis statum; quam proinde cuivis rei extra nihilum positae, sive substantia sit, sive modus, competere, manifestum est. Per subsistentiam vero intelligitur modus existendi in ratione suppositi, vel personae, complete scilicet, et incommunicabiliter sub tali ratione: quam idcirco nonnisi substantiis posse competere, iisque tantum, quae complete, et incommunicabiliter sub praefata ratione existant, aeque evidenter patet.

CAP. II.

De Trinitatis Mysterii altitudine supra omnem rationis naturalis aciem, sive praecisa, sive etiam supposita ejus revelatione.

Jam ex D. Augustino ab ipso hujus libri exordio innuimus, Trinitatis Mysterium adeo omnem humanae rationis aciem supergredi, ut nullus disputandi modus, nulla intelligendi vis, atque potentia, nulla vivacitas rationis, vel acies cogitationis ostendere valeat, quomodo illud se habeat. Non defuerunt tamen, qui docerent, solius rationis naturalis ductu, ac praecisa etiam omni ejus revelatione, posse humanam mentem ad illius cognitionem assurgere. Ita sane docuit Claudianus Mamertus, Ecclesiae Viennensis Presbyter l. De statu animae c. 6.: Petrus Abaleardus, quemadmodum testatur D. Bernardus ep. 190. ad Summum Pont. Innocentium: itemque Raymundus Lullus tum in tract. de articulis fidei, tum in libro, quem inscripsit *De Demonstratione aequiparantiae*, quam illi superaddidit, quae dicitur a priori, et a posteriori, quamque fieri, inquit, ab aequalibus, seu a propositionibus paribus in evidentia, et certitudine. Docuerunt alii, quod licet, praecisa ejus revelatione, nullatenus possit sola ratione naturali demonstrari, utique tamen solius rationis naturalis vi demonstrari potest, supposita ejus revelatione. Ita nempe docuisse Henricum, Ricardum a S. Victore, ipsumque Gersonium, scribit Vasquesius 1. parte Disp. 133. c. 1. Caeteri temen Doctores oppositum semper tenuere; docentes nempe nullum quidem contra illud proferri posse argumentum a ratione naturali petitum, quod non sit, quantum in hujusmodi satis est, solubile; quia, *cum verum vero minime contradicat*, quemadmodum ait Conc. Later. V. sub Leone X., nosque ostendimus l. 1. tract. 8. cap. 1. prop. 1.; sitque Personarum Divinarum Trinitas in unitate essentiae veritas fidei catholicae, illam proinde contra rationem non esse, consequens est: adeo tamen supra rationem esse, ut nec praecisa, nec etiam supposita ipsius revelatione, solius rationis naturalis ope demonstrari queat. Cum quibus sit

Prop. Nec praecisa, nec etiam supposita Mysterii,

de quo loquimur, revelatione, illud sola ratione naturali demonstrari potest. Ita communiter.

Prob. Et 1.° ex Scripturis, ut ex illis Isaiae verbis 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Et Christi ap. Matth. 11, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Idem autem dictu est, quod generationem in Deo nemo satis est ad enarrandam, quodque in Divinis nemo Patrem novit, nisi Filius, nec Filium, nisi Pater; idem, inquam, dictu utrumque est, quodque Trinitatis notitia solius revelationis donum esse potest: Nec praecisa igitur, et nec etiam supposita ejus revelatione, sola ratione naturali illud demonstrari potest.

Item ex illis ejusdem Christi verbis ad Petrum, qui cum eum fassus esset Filium Dei vivi, *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est* (*Matth.* 16). Quod si caro, et sanguis, seu humana industria impar ad cognoscendum Dei Filium est, quia Patris Coelestis dumtaxat revelatione id innotescit, profecto dicendum, Trinitatis notitiam, per quam Dei Filium adoramus, solius rationis naturalis ductu nos consequi non posse: Solius ergo hujus ductu nullatenus eam nos consequi posse, magis, magisque perspicuum est.

2.° Auctoritate Greg. XI., qui, ut refert Nicolaus Emericus in Directorio Inquisitorum p. 2. qu. 9. art. 96. praefatam Lullii opinionem, quae contrarium asserebat, damnavit.

3.° Ex PP.; ita enim D. Ambrosius l. de fide c. 10. *Impossibile est generationis Verbi Divini scire secretum; mens deficit; vox silet.* Item D. Aug. l. cit. in hujus libri exordio. Alisque omissis, ita etiam D. Bernardus l. 5. de consid. c. 8. *Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est; credere pietas; nosse, vita, et vita aeterna.*

4.° Demum, quia omnis demonstratio per lumen naturale fit vel a priori, cum nempe fit per causam, aut ex intimis ipsius rei principiis; vel a posteriori, cum nempe fit per effectus, aut ex aliis necessario, et stricte cum re demonstranda connexis. Trinitatis autem Mysterium nequit primo modo demonstrari, tum quia Trinitas

Personarum Divinarum causam non habet: tum quia ex Dei Essentia nullum principium patet, unde inferri evidenter possit Trinitatis dogma. Neque etiam secundo modo, tum quia omnes effectus creati sunt a Deo, quatenus est omnipotens, quod Omnipotentiae attributum Essentiam Divinam directe connotat, non Personas; quare omnes docent, omnia Dei opera ad extra tribus Personis Divinis communia esse, et indivisa; nec Deum ad extra operari, quatenus est trinus, sed quatenus est unus: tum quia nihil in tota rerum universitate habetur, quod necessariam, strictamque connexionem cum Trinitate habeat. Sive, ut idem paullo aliter, ac simul paucis dicamus, quoniam quidquid creatum est cum sola Omnipotentia necessario connectitur, hinc quidquid creatum est Deum Omnipotentem aperte demonstrat, non Deum Trinum. Quibus perpensis, nec a priori, nec a posteriori Mysterium, de quo loquimur, solius rationis naturalis ope demonstrari posse, consequens est.

Accedit, quod cum et fides, et ratio doceant, Deum esse unum, simplicissimum, et cujusvis realis compositionis expertem, hinc solius rationis naturalis ductu renuit mens in Deo agnoscere distinctionem ullam realem, e qua numerus exurgat. Quae autem ad se invicem referuntur, quaeque correlata dici solent, ut Pater, et Filius, realiter etiam distingui debent, nemo enim esse potest sui ipsius Pater, aut Filius, sed alterius, nec aequalis sibi, sed alteri: Solius igitur rationis naturalis ductu renuit mens in Deo agnoscere relationes Paternitatis, Filiationis, spirationis activae, et passivae, ideoque et Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; et quidem perfectissime sibi coaequales, dum simul sub ratione personae realiter inter se distinguantur.

Diximus autem, quod *nec praecisa*, *ac nec etiam supposita etc.*; demonstrationis enim medium, sive a priori, sive a posteriori fiat, esse debet cum re demonstranda necessario connexum; at etiam supposita Trinitatis Mysterii revelatione, nihil ejusmodi habetur vel in ipsa Dei essentia, vel in tota rerum Universitate, unde illud demonstrari possit, quemadmodum perpendenti quae hactenus diximus, evidenter patet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Solo naturali lumine cognoscitur, quod Deus perfectissime se cognoscit, et amat. Cognitio autem, et amor sui ipsius sunt actiones, omnisque actio suum habere debet terminum: Solo igitur naturali lumine cognoscitur, quod adsunt in Deo et cognitionis, et amoris sui ipsius termini: et quidem cum cognitio, et amor sui ipsius sint actiones immanentes, solo etiam naturali lumine cognoscitur, quod iidem termini immanentes quoque esse debent. Quod cum ita sit, en simul solo naturali lumine patefactum Trinitatis dogma; eo siquidem solo noscitur, quod ejusmodi termini et substantiales, et sibi mutuo consubstantiales, et realiter distincti tum relate ad eorum principium, tum relate ad se invicem esse debent: Primum nempe, quia omne Ens vel substantia est, vel accidens. In Deo autem nullum esse potest accidens: Substantia igitur. Alterum, sunt enim substantiales. Repugnant autem plures substantiae infinitae: Unica igitur substantia. Postremum, producens namque realiter a producto distinguitur. Taliter autem se habet quodvis principium respectu termini, cujus est principium: Et in Deo igitur tam cognitionis, quam amoris sui ipsius terminus realiter distingui debet ab ejus principio. Cumque ea, quae realiter a quodam tertio distinguuntur, realiter quoque inter se distingui debeant, hoc ipso etiam, quod uterque terminus realiter ab ejus principio distinguitur, realiter quoque inter se distingui debent: ex quibus omnibus sequitur, solo naturali lumine cognosci posse, quod tres adsunt Personae Divinae realiter distinctae, ac unus Deus.

R. dist. min.; quod nempe omnis actio suum habere debet terminum, hoc sensu, quod terminare debet in aliquid, secus namque versaretur circa nihilum, quod repugnat: hoc tamen sensu, quod terminare debeat in aliquid realiter ab agente distinctum, conceditur quidem, si actio sit transiens, cum hujus sit, ut ejus terminus prodat extra ipsum agens; non vero, naturali tantum lumini inhaerendo, si actio sit immanens, cum hujus sit, ut ejus terminus in ipso agente immaneat.

Responderi etiam potest, distinguendo paullo aliter min.; quod nempe omnis actio suum habere debet terminum, sed quem producat, si actio sit productiva, vel ad eum tendat, si productiva non sit. Cognosciturne

tamen per lumen naturale, quod actio intellectus, et voluntatis in Deo sit productiva? Nonne et Verbum, et Spiritus Sanctus eumdem essentialiter cum Patre intellectum habent, quin tamen per intellectum vel Verbum, vel Spiritus Sanctus aliud Verbum producat? Nonne Spiritus Sanctus eamdem essentialiter cum Patre, et Filio voluntatem habet, quin tamen per ipsam alium Spiritum Sanctum producat?

Quibus demum accedit, tantum abesse, quod allatum argumentum Trinitatis dogma demonstret, ut potius ad pluralitatem Deorum, ideoque ad contrarium errorem ducat; numquam enim mens sibi relicta persuadere sibi posset, plures terminos substantiales non esse plures substantias, ideoque plures Deos; nec non producentem, et productum esse quid realiter unum, solis subsistentiis distinctum.

Objic. 2.° Solo naturali lumine cognoscitur, quod foecunditas est perfectio. Omnis autem perfectio Deo tribuenda est, et quidem infinite: Inest ergo Deo infinita foecunditas. Quod et ipse Deus suadere volens per Isaiam c. 66. *Numquid* (ait) *Ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dixit Dominus? Si Ego, qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero?* Haec autem infinitum Filium debet gignere: En igitur infinitus in Deo Filius; qui item et substantialis, et consubstantialis gignenti esse debet, atque ab eo realiter distingui. Primum, accidens enim nequit generationis esse terminus; quodque accidens non est, profecto est substantia. Alterum, repugnant enim plures substantiae infinitae. Postremum vero, quia correlata, cujusmodi sunt Pater, et Filius, realiter distinguuntur. Superest modo Spiritus Sancti demonstratio. Ita autem fieri potest. Est enim Deus infinita Bonitas, idque lumine tantum naturali cognoscitur. Est autem infinitae Bonitatis infinite se diffundere: Deum igitur infinite se diffundere debere, lumine tantum naturali cognoscitur: cumque ad extra nequeat taliter se diffundere, nequit namque infinitas creatum aliquid afficere, dicendum profecto, nonnisi ad intra taliter se diffundere, ideoque in eo esse infinitum suae Bonitatis productum. Hoc autem et substantiale, et consubstantiale ipsi principio producenti, et realiter distinctum ab eo esse debet. Primum, quia procul a Deo omne accidens, quodque accidens non est, profecto est substantia. Alterum, quia repugnant plures substantiae infinitae.

Postremum, quia producens, et productum sunt correlata, quorum est realiter inter se distingui: En igitur naturali tantum lumine tres Personae Divinae realiter distinctae, et unus Deus.*

R. Et quidem ad 1.m neg: maj.; naturali tantum lumini inhaerendo; videtur enim foecunditas, si naturale tantum lumen consulamus, imperfectio potius, quam perfectio; idque tum si absolute, tum si relative ad Deum consideretur. Primum, cum non inserviat, nisi individuorum conservationi, quae conservandi necessitas undenam proficiscitur, nisi ex eo quod interitui sunt obnoxia? Hoc autem maximam esse imperfectionem, nemo est, qui non videat. Alterum, quia generatio, quae est foecunditatis effectus, tendit in tota rerum Universitate ad terminum, qui tum subsistentia, tum natura realiter a gignente distinguatur; cujusmodi terminus si in Deo esset, alius quoque ab ipso gignente daretur Deus: quod etiam maximam imperfectionem argueret.

Ad alterum vero respondetur dist. min; quod nempe naturali tantum lumini inhaerendo, infinitae Bonitatis est infinite se diffundere hoc sensu, quod numquam ita se diffundat, ut nequeat amplius, ultraque se diffundere, non autem, ut ex ejus diffusione personale quoddam productum habeatur, quodque cum producente sit quid realiter unum, propriis tantum subsistentiis distinctum.

Objic. 3.° Si demonstratur veritas Christianae Religionis, demonstratum quoque manet Trinitatis dogma, quod ipsa profitetur. Per motiva autem credibilitatis utique demonstratur Christianae Religionis veritas: Per eadem igitur manet quoque demonstratum Trinitatis dogma.

R. dist. sequ. maj., et cons.; quod nempe demonstratum manet Trinitatis dogma demonstratione generali, et extrinseca, non vero intrinseca, et propria, ex ipsis rei demonstratae visceribus petita.

Objic. 4.° Cum inter possibile, et impossibile, utpote sibi contradictoria, nullum detur medium, hoc ipso idcirco, quod aliquod demonstratur non esse impossibile, jam demonstratur possibile. Demonstratur autem contra haereticos, Mysterium Trinitatis non esse impossibile, solvendo scilicet argumenta, quibus conantur demonstrare, quod contradictionem implicet: Hoc ipso igitur demonstratur possibile: immo et existens, cum in Deo nihil potentiale sit.

R. neg. sequ. maj.; etenim sunt quidem possibile, et impossibile sibi invicem contradictoria, quia inter se òpponuntur, velut Ens, et non Ens; non tamen demonstrari impossibile, et demonstrari possibile sunt pariter contradictoria, quia utrumque est aliquid positivum, inter quae utique datur medium, nullatenus scilicet demonstrari. Hinc licet demonstretur contra Haereticos, ut infra videbimus, Mysterium Trinitatis non esse impossibile, solvendo scilicet argumenta, quibus illud impetunt, non ideo tamen demonstratur etiam possibile, argumentis nempe, quaae idearum, quae illud constituunt, convenientiam evincant.

Objic. 5.º Ipsa testante Scriptura, facti sumus ad imaginem, et similitudinem Dei. Ex imagine autem evidenter agnoscitur, qualis est is, qui ab imagine repraesentatur: Et igitur ex nobis ipsis evidenter possumus assurgere ad cognitionem Dei, qualis est, quatenus nempe unus in essentia, et trinus in Personis.

R. neg. cons.; etenim sub qua ratione homo dicatur conditus ad imaginem, et similitudinem Dei, non una est omnium sententia; id namque repetit D. Aug. *tr.* 3. *in Io.* ex eo quod ratiocinandi facultate gaudet; D. Ambr. *in Hexameron l.* 6. ex eo quod arbitrii libertate praeditus est; D. Chrysost. *hom.* 10. *in Gen.* ex imperio, et dominatu, quem super caetera animantia, aliasque creaturas sibi inferiores a Deo accepit; alii, quos inter laudatus quoque D. Ambr. *l. de bon. mort. c.* 5., hanc Dei similitudinem, et imaginem in virtute, et justitia constituunt: *Fuga malorum* (ita laudatus S. D.) *similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur.* Quomodocumque tamen sit, quod alibi meliori, quo fieri poterit, modo declarabimus, cavere homo debet, ut advertit laudatus D. Aug. l. 7. de Trin. c. 20., *ne hanc imaginem ita ei comparet, ut omnino existimet similem; sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.* Cumque inter Sanctam Trinitatem, et animam humanam haec praecipue afferatur similitudo, quod sicut Deus est unus in essentia, et trinus in Personis, ita anima humana nonnisi unica est, et simul tribus distinctis facultatibus gaudet, intellectu scilicet, voluntate, et memoria; pergit proinde S. Doctor, prae oculis habendum esse, quod haec tria *ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo*; cum e contrario Divinita-

tis Natura ita sit in Personis, ut unaquaeque sit Deus. Item, *quod ista imago, quod est homo, habens illa tria, una persona est*; dum e contrario in Deo tres distinctae personae sunt, una, eademque Divinitas. Ac demum, quod homo quum intelligit, vel amat, non est intellectio, vel amor, *sed haec habet*; dum e contrario Verbum Patris, et amborum amor sunt eadem Patris substantia.

Objic. 5.° et quod Mercurius Trismegistus dixisse fertur: *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem*: et quod Aristoteles, et Pythagoras ternarium numerum, tanquam Divinitatis symbolum, commendant: et quod, Platonem Trinitatem agnovisse, testatur tum Eusebius *l.* 11. *De Praep. Evang.*, tum D. Aug. *l.* 7. *conf. c.* 9.: et demum quod in carminibus Sybillinis non unum habetur Divinitatis Christi testimonium. Nonnisi autem naturali lumine assequi id poterant: Utique ergo per solum lumen naturale Divinarum Personarum Trinitas cognosci potest.

R. Et 1.° quoad Trismegistum, suppositos esse, qui sub ejus nomine circumferuntur, libros, ostendunt Petavius *l.* 1. *de Trin. c.* 2.; Du Pin in sua Bibl. *T.* 1. *pag.* 35., aliique emunctae naris Critici. Quoad Aristotelem, Pythagoram, et Platonem, multa didicisse a Iudaeis, quos petiisse discendi cupiditate ductos, eorumque sacros Codices sibi comparasse, commune est apud Eruditos. Praeterquamquod nulla habetur apud eos recta Trinitatis notio, trium nempe Personarum in unitate essentiae, ac substantiae, sed potius plurium Deorum, ut constat de Platone *ex Somnio Scipionis c.* 14., ex Eusebio *l. cit.*, et ex D. Aug. *l.* 13. *De Civ. Dei c.* 16., *et* 17. Quoad carmina demum Sybillina, non una est Eruditorum sententia: ab aliquibus enim dicuutur Christi temporibus posteriora, et plane conficta tempore Hadriani, aut Commodi; ita nempe Blondellus, Vossius, Clericus, et ex nostris Possevinus, et alii complures. Ab aliis putantur quidem genuina, sed superni luminis foetus in iis, quae de Christo praenuntiarunt; iisque (inquiunt) talia datum fuisse praenoscere in praemium castitatis: *Sybillarum insigne* (ita D. Hieron. l. 1. adversus Jovinianum) *virginitas, et virginitatis praemium divinatio.*

CAP. II.

De cognitione Mysterii Trinitatis olim habita per Dei revelationem; nec non de ejus fide modo habenda.

Fidem in Trinitatem necessariam non fuisse nec ante Christi adventum, nec ante Evangelii promulgationem, commune est apud DD.; qui et docent, hujus Mysterii cognitionem distincte quidem per Dei revelationem habitam fuisse a Judaeorum Patriarchis, a Prophetis, atque a Viris sanctitate conspicuis; subobscure a Legis peritis, qui vocabantur Scribae: nullatenus tamen a Iudaeorum vulgo, ne inde occasionem sumerent idolotrandi, in quod adeo propendebant, ut identidem nefandi hujus criminis reos se obstringerent. Eam tamen, et quidem explicitam, necessariam semper fuisse ad salutem post Evangelii promulgationem, communiter Doctores tradunt contra Socinianos, qui Trinitatis dogma ab iis expungunt, quos vocant *fundamentales* fidei articulos; ac utique, inquiunt, societatem, et communionem habendam cum iis, qui cum Divinam Trinitatem probare nesciant, fidem illi detrectant. Immo nec ipsam fidem in Christum, tamquam verum Deum, et Deo Patri consubstantialem, accensent fidei articulis, quos *fundamentales* appellant. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Trinitatis Mysterii cognitio ante Christi adventum habita per revelationem fuit *distincte* a Iudaeorum Patriarchis, Prophetis, ac Viris sanctitate conspicuis; *subobscure* a Legis peritis; sapienter vero communi Iudaeorum vulgo denegata. Ita communiter.

Prob. 1. pars I.ª ex illis Christi verbis Matth. 13. *Amen dico vobis, quia multi Prophetae, et justi cupierunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire, quae auditis, et non audierunt.* Et. Jo. 8. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est.* Cognitio autem Mysterii Incarnationis haberi non poterat absque Trinitatis notitia. Cui accedit, quod cum iis revelatum fuerit Verbum carnem sumpturum, revelatum quoque iis fuisse Spiritum Sanctum, non immerito credendum est, cum Dei perfecta sint opera.

2. Ex D. Aug. *l.* 2. *de Trin. c.* 11., ubi docet, Abrahamum, quum *tres vidit, et unum adoravit*, ut

legitur Gen. 18, Trinitatis figuram, et imaginem conspexisse. Quod et docet D. Ambrosius *l. 1. de Cain, et Abel*; ubi et addit, idem quoque significasse, quum, ut legitur eodem Genesis loco, *tres mensuras obtulit similaginis.*

Prob. 2. pars; 1.° enim quod Mysterium Trinitatis confuse etiam contineatur in Veteris Testamenti paginis, paullo infra demonstrabimus. Vetus autem Testamentum nunquam Legis periti Iudaeorum desinebant manibus terere: Eos igitur, confuse saltem, illud cognovisse, consequens est. 2.° quia in Veteri Testamento satis quoque futuri Messiae Divinitatem praedicari, nemo in dubium vocare potest; tum quia huc referri illa Regii Psaltes verba Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, declaravit Christus sibi illa applicans Matth. 22. tum quia huc etiam referri quod idem Regius Psaltes ait Ps. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, testatur Apostolus ad Heb. 1.; tum demum, quia secus nec Christus remisisset Iudaeos ad Scripturas, ut ejus Divinitatem agnoscerent, quum ait Jo. 5. *Scrutamini Scripturas; illae sunt, quae testimonium perhibent de me*; nec iidem fuissent inexcusabiles, non agnoscendo ejus divinitatem, cum ex una parte cautum iis esset in capite Legis, ut nonnisi unum Deum colerent, et ex altera nullum iisdem effulsisset Scripturarum testimonium, e quo Christi Missionem simul, et Divinitatem noscere possent. Cognitio autem Divinitatis Messiae ingerebat quoque aliquam pluralitatis Divinarum Personarum cognitionem; cum enim plures Deos agnoscere prohiberentur, agnoscendo idcirco Divinitatem Messiae, ipsum simul alium natura, et essentia a summo Deo esse non posse, erat ab iis agnoscendum: Messiae igitur Divinitatem agnoscendo, non poterant simul non agnoscere, saltem subobscure, pluralitatem Divinarum Personarum, quin ejusmodi pluralitas unitatem essentiae, seu substantiae afficeret. 3.° demum, quia verisimile non est, quod Patriarchae, Prophetae, aliique Sanctitate conspicui, quibus revelatum fuerat, illud abscondissent etiam legis peritis.

Prob. 3. pars ex eo quod, cum Gens Iudaeorum valde ad Idololatriam propenderet, plurium in Deo Personarum cognitio illis, ut diximus, fuisset occasio plures Deos colendi. Hinc sapienti oeconomia communi Iu-

dacorum vulgo denegata fuit : *Cum in Ægypto* (ita apposite Theodoretus l. de curatione Graecarum affectionum serm. 2.) *diutissime versati essent* Iudaei, *multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifeste Trinitatis Mysterium tradidit, ne ex eo multitudinis Deorum occasionem sumerent ad Ægyptiorum impietatem propendentes.* Quod et scribit D. Chrysost. *hom. de incomprehensibili Dei Natura*, et D. Isidorus *ep.* 143.

Prop. II. Fides explicita tum in Mysterium Trinitatis, tum in Christum, tamquam verum Deum, et Deo Patri consubstantialem, necessaria semper fuit post sufficientem Evangelii promulgationem ad salutem assequendam. Ita communiter.

Prob. I: pars. Et 1.° ex illis Christi verbis Jo. 14: *Creditis in Deum, et in me credite.* Et c. 17. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Et. 1: Jo. c. 5. dicitur: *Scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita aeterna.* Ex his autem simul congestis nedum liquet, quod eadem in Christum fides habenda est, ac in Deum ipsum, verum etiam, quod Christi cognitio est vitae aeternae fundamentum, et praecise ejus cognitio, quatenus ipse est verus Dei Filius, et verus Deus; quae omnia absque Trinitatis notitia, cujus Christus secunda. est Persona, haberi nequeunt.

2.° Ex cap. 19. Actuum, ubi legitur, quod cum Apostolus interrogasset Ephesi quosdam discipulos, num Spiritum Sanctum accepissent? et ab iis audisset: *Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus?* statim subjunxit: *In quo ergo baptizati estis?* Ex quibus Apostoli verbis sequitur, quod ad accipiendum Baptismum necessaria est in adultis Spiritus Sancti cognitio. Haec autem absque cognitione totius Trinitatis haberi nequit: Ad accipiendum igitur Baptismum totius Trinitatis cognitio necessaria est. Cumque sine Baptismo nemo ingredi possit in Regnum Coelorum, ipso Christo teste Jo. 3., neminem quoque absque Trinitatis cognitione salvum fieri posse, consequens est.

3.° Ex eo quod per Baptismum fit solemnis Religionis Christianae professio, ut ostendimus l. 1. tract.

3. cap. 11. Baptizamur autem per invocationem Trinitatis, in nomine scilicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Per fidem ergo in Trinitatem fit solemnis Christianae Religionis professio; quam proinde nedum esse fidei dogma, sed et praecipuum, ac fide explicita credendum, manifeste sequitur.

4. Ex eo quod per fidem in Trinitatem distingui Religionem Christianam tum a Judaeis hodiernis, tum a Mahumetanis, et Paganis, nemo inficiari potest, qui sciat, Judaeos Deum unum agnoscere essentia, et persona; iisque Mahumetanos assentiri; Paganos vero plures Deos. Quod si per illam Christiana Religio distinguitur tum a Judaeis hodiernis, tum a Mahumetanis, et Paganis, praecipuum ejus dogma dicendum est, ac fide explicita credendum: Patet ergo magis propositum.

5.° Demum ex confessione in tres Divinas Personas, quae a suscipientibus Baptismum fuit semper in Ecclesià expostulata: quod ex relatis etiam Actuum verbis manifeste patet.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturae verbis supra allatis, eodemque modo ex iis disserendo.

2.° Ex illis Christi verbis Jo. 5. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Et 1. Jo. c. 2. dicitur: *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, et Patrem habet.* Quod si vera Dei Patris cognitio, ipsis Adversariis fatentibus, est ad salutem necessaria; utque ex praefatis verbis liquet, nequit vera Dei Patris cognitio haberi absque fide in Christum, tamquam ejus Filium, quis non videt, quod aeque etiam ad salutem necessaria ejusmodi in Christum fides dicenda est?

3.° Si fides in Christum, tamquam verum Dei Filium, ac Deo Patri consubstantialem, cum cultu ei debito essentialiter connectitur, profecto dicendum, praecipuum quoque esse Christianae fidei articulum, atque explicite credendum. Fides autem ejusmodi in Christum cum cultu ei debito essentialiter connectitur; cum enim crimen idololatriae esset supremum adorationis cultum ulli merae creaturae tribuere, ideo proinde talis cultus Christo debetur, eumque illi negantes Sociniani merito, optimoque jure de impietate arguuntur, quia est verus Dei Filius, ac Deo Patri consubstantialis: Fides ergo ejusmodi in Christum praecipuus dicendus

est ipsius Christianae fidei articulus, atque explicite credendus.

Probatur demum utraque pars ex Symbolo, qui Athanasianus dicitur, et quo utrumque expressis verbis profitemur.

Objiciunt Sociniani, quibus adhaerent Remonstrantes, duce Episcopio l. 4. Instit. Theol. sect. 2. c. 24., 1.° quod Religio Christiana non tam speculativis, quam practicis veritatibus struitur. 2.° quod aliud nobis non praecipitur ad salutem assequendam, nisi mandata servare, ipso Christo Domino teste apud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 3.° quod ab Apostolorum aevo per tria subsequenter saecula fides in Christum, tamquam verum Deum, et Deo Patri consubstantialem, numquam fuit habita, tamquam necessaria ad salutem. Non igitur ejusmodi fides, sicut neque in Mysterium Trinitatis fundamentalibus fidei articulis accensenda est.

R. tamen quoad 1.m, falsum esse, quod Religio Christiana non tam speculativis, quam practicis veritatibus struitur; teste enim Apostolo ad heb. 11., *sine fide impossibile est placere Deo*; nec semel tum in paullo supra laudatis, tum in aliis Scripturae locis commendatur fides, tamquam ad salutem necessaria; utque dicitur praecipue Marci 16., adeo necessaria est ad salutem, ut sine ea salus sperari nequeat, dicitur enim, quod *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quoad alterum vero, quod nempe nobis non praecipitur Matth. 19. ad salutem assequendam, nisi *mandata servare*, respondetur, quod inter alia nobis mandata ipsa quoque est fides, animique demissio in credendo, *captivando* scilicet, quemadmodum per Apostolum praecipitur, *intellectum in obsequium Christi* (2. *ad Cor.* 10.); ad quod etiam referuntur tum supra allata, tum alia, quae hac super re proferri possent, testimonia, nisi obvia essent, et passim sparsa in cunctis Scripturarum, ac praesertim Novi Testamenti, libris. Quoad tertium denique, quod nempe Ecclesia ab Apostolorum aevo per tria subsequenter saecula non postulaverit a Christianis fidem in Divinitatem Christi, respondetur, putidissimum hoc esse haereticorum mendacium, quemadmodum ex dicendis tum in hoc libro, tum ubi de Incarnatione agetur, evidenter patebit.

CAP. IV.

De Trinitate Divinarum Personarum in unitate Essentiae.

Non pauci ab ipso Ecclesiae exordio fuere, qui fidem in Trinitatem impugnarunt; aliis Personas Divinas realiter inter se distinctas negantibus; aliis, plures admittendo personas, ac simul plures Deos invehentibus; aliis demum adstruentibus quidem Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, sed soli Patri Divinitatem tribuentibus. Primi generis fuerunt Simoniani a Simone Mago, qui ab ipso Apostolorum aevo non minus delirans, quam blasphemans, ait, se esse omnem Trinitatis personam, qui, tamquam Pater, in Sina legem dederat; tamquam Filius, Judaeis apparuerat; ac, tamquam Spiritus Sanctus, sese in Gentes diffuderat. Ita nempe de eo tum D. Irenaeus *l. 1. adv. haereses*, tum D. Aug. *l. de haeresibus*. Altero vero saeculo quidam e Montanistis, docentes, eodem Tertulliano teste *l. de Praescript. c.* 52., Christum esse Filium simul, et Patrem; quibus, ut idem scribit c. ult., adhaerens Praxeas Asiaticus, *Deum Patrem crucifixum, passumque contendit, et mortuum*. Tertio subsequenter saeculo Noetiani a Noeto, docentes, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum nonnisi tria esse nomina, unam, eamdemque personam significantia ob diversas operationes. Hanc vero Noeti haeresim pro viribus sparsit eodem saeculo Sabellius, Ptolemaide in Lybia natus, ac in Pentapoli Episcopus, e quo proinde Sabellianae haereseos nomen sumpsit; unam quoque, et ipse asserens, adstruendam in Deo esse personam, sicut essentiam, sub triplici tantum appellatione, Patris, Filii, et Spiritus Sancti; Patris nempe, quatenus est rerum omnium principium; Filii, quatenus carnem assumpsit; Spiritus Sancti, quatenus in Apostolos se diffudit. Tam Sabelliani autem, quam Noetiani, et Praxeae gregales dicti etiam fuerunt *Patropassiani*, eo quod cum Patrem unum natura, ac persona dicerent cum Filio, ac sola tantum denominatione Patrem, et Filium distingui, Patrem proinde passum, crucifixum, ac mortuum asserebant. Sabellium deinde secuti etiam fuerunt Paulus Samosatenus, creatus Episcopus Antiochensis anno 260., Photinus Episco-

pus Syrmiensis saeculo 4., nec non Priscillianus Episcopus Abulensis, qui eodem vertente saeculo Ecclesiam divexavit.

Secundi generis fuerunt Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, qui, ut habetur in Oecumenica V. Synodo, quaternitatem pro Trinitate invexerunt. Item Cononitae ita dicti a Conone, qui eorum dux fuit, quique, ut narrat Nicephorus l. 18. hist. c. 49., *tres numero substantias*, *et naturas per omnia similes secundum deitatem* ajebant, unumque Deum dicendum, *non numero*, *sed per omnia simili deitate*; eo scilicet modo, quo una est specifice natura humana in pluribus hominibus, numero tamen distincta, et pro multiplici hominum numero divisa, et multiplex. Praeiverat caeterum Cononitis Joannes Philoponus sexto saeculo, cujus proinde discipuli, eodem referente Nicephoro l. cit. c. 4., dicti fuerant Tritheitae, idest tres Deos asserentes: eamdemque haeresim novissime propugnavit Scriptor Gallus libello, cui titulus gallice: *Alteration du dogme Theologique sur la Trinité par les fausses idèes des Scholastiques*; essentiam Divinam, inquiens, utpote infinitam, in tribus Personis multiplicari debere, adeoque tres esse individuas in Deo substantias, tres naturas, tres sapientias, etc., quae tamen in unitate numerica ejusdem essentiae uniuntur. Huc quoque pertinet quod docuit Abbas Ioakim Florensis Monasterii in Calabria, qui tres Personas Divinas unam essentiam habere, ajebat, non vere, et proprie, sed eo modo, quo multi homines dicuntur unus populus, et multi fideles Apostolorum aevo dicebantur *anima una*: utque ostenderet earum unitatem affectivam tantum, ac moralem esse, abutebatur illis Christi verbis Jo. 17. *Rogo . . . . ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et Ego in te*. Ejus autem error proscriptus fuit, ut diximus l. 1. tract. 4., in Concilio Later. IV. sub Innoc. III., salva tamen ejus persona, ob pertinaciae defectum.

Postremi generis demum fuerunt 2. saec. Apelleitae, quorum dux Apelles Marcionis discipulus, a Magistro suo, et a veritate simul desciscens, *unum esse*, docuit (ut scribit D. Epiphanius haer. 44.) *bonum Deum, unumque principium. . . Caeterum idem ille Sanctus, bonusque Deus, qui a principio Deus est, ac bonus, alium produxit Deum, a quo universa con-*

dita sunt, Coelum videlicet, et Terra, caeteraque, quae in hoc Mundo cernimus. Item eodem saec. Valentiniani, quorum dux Valentinus furore actus, ut refert Tertullianus l. adversus Valentinianos c. 4., quod Episcopatum, cui inhiabat, non obtinuerat, Patrem aeternum, ait, nonnisi post infinitam saeculorum seriem genuisse Verbum. Item eodem quoque saeculo Apollinaristae, quorum dux Apollinaris, ut scribit D. Greg. Nazianz. ep. 1. ad Cledonium Presbyterum, *ex magno, et majori, et maximo, hoc est ex Spiritu Sancto, et Filio, et Patre, tamquam ex splendore, et radio, et Sole, Trinitatem constituit.* Item saec. 4. Ariani, quorum dux Arius ex Lybia ortus, cum Meletii schismati prius adhaesisset, hoc ejurato, atque in Diaconum, et in Presbyterum consecratus, immo et Paraeciae Baucalensi ob externam ejus morum gravitatem praefectus, cum aegre dein tulisset, quod Alexandrum sibi in Episcopatu Alexandrino praelatum videret, adversus Verbi Divinitatem blasphemare coepit, ipsum, docens, , non semper fuisse; utque ortum ex nihilo, sive ex non extantibus, creaturam esse, opusque; nec Patri esse simile secundum substantiam, sed ipsi extraneum. In tres tamen classes se postmodum dispescuere; siquidem alii Filium prorsus Patri dissimilem ajebant, dicti idcirco Anomoei a nomine graeco, quod significat dissimile; horumque principes fuerunt Eunomius, et Aetius, a quibus Eunomiani, et Aetiani. Alii renuebant tantum profiteri Filium Patri consubstantialem; quem tamen Patri et substantia, et aeternitate, et per omnia similem profitebantur; ita, ajentes, sacram antiquitatem venerari, a qua Filius ante Nicaenum Concilium numquam dictus fuerat Patri consubstantialis. Dicti autem fuerunt Semi-Ariani, eorumque princeps fuit Basilius Ancyranus. Alii demum media incedentes via Filium nec Patri consubstantialem cum Catholicis, nec in omnibus similem cum Semi-Arianis, nec dissimilem cum Eunomianis, et Aetianis ajebant, sed similem alia quadam ratione; ac eo fere modo, quo sculpturae, et imagines suos prototypos repraesentant, quibus nempe nec consubstantiales sunt, nec natura similes, nec dissimiles, sed externa tantum repraesentatione assimilantur. Fuit vero eorum princeps Acacius Episcopus Caesariensis. Demum eodem saeculo

Macedoniani, ita dicti a Macedonio, qui Arianorum favore, e quorum secta erat, in Sedem Constantinopolitanam a Constantio intrusus, ab ea ejecto per vim, nec sine multa sanguinis effusione, saevientibus in plebem militibus, Paulo ejus legitimo Patriarcha, cum deinde ab ea et ipse fuerit expulsus ab eodem Constantio, propterea quod Constantini corpus, inconsulto Imperatore, e Templo Apostolorum in aliud transferre ausus esset, novam evomuit haeresim, qua Spiritui Sancto Divinitatem eripiebat, eumque meram esse creaturam, blasphemabat.

Sunt caeterum ad hanc quoque classem revocandi quotquot cum non negarent, Christum esse Verbum carnem factum, ipsum tamen, tamquam merum hominem ex Josepho, et B. Virgine ortum, traduxerunt: fueruntque Cerinthus, et Ebion, contra quos D. Joannes Evangelista rogatus ab Asiae Episcopis suum edidit Evangelium, ut scribit D. Irenaeus *l.* 3. *c.* 11., et D. Hieron. *De viris illustribus c.* 9. Nefandam Cerinthi et Ebionis haeresim secuti postmodum fuerunt Carpocrates Gnosticorum parens, uterque Theodotus, Coriarius nempe, et Argentarius, nec non Paulus Samosatenus, et Photinus.

Haec igitur haeresum adversus Trinitatem monstra: quae fere omnia in medium novissime proferre ausi fuere Michael Servetus, Valentinus Gentilis, omniumque haereticorum pessimi Laelius, et Faustus Socinus. Primus nempe, idest Servetus, natione Hispanus, et professione Medicus, editis anno 1531. septem libris, personarum in Deo distinctionem, aeternam Verbi generationem, naturarum in Christo hypostaticam unionem evertere conatus, alia etiam tam horrenda addidit, ut Bucerus e suggestu dixerit, illum dignum esse, qui avulsis visceribus discerperetur. In carcerem proinde, rem praecipue promovente Calvino, conjectus Genevae, ibique in judicium vocatus, vivus flammis cum suis scriptis combustus fuit.

Alter vero, idest Valentinus Gentilis, natione Italus, patria Consentinus, cum ex Italia Genevam, ac deinde Sabaudiam, ac Poloniam petiisset, edito ad id libro, docuit, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum tres esse aeternos, et distinctos Spiritus, non solum quoad personas, sed etiam quoad essentiam divi-

sos; Symbolum vero Athanasianum, quod aliter docet, *Satanasianum* potius dicendum esse: Trinitatem esse merum humanum commentum, vocesque *persona*, *essentia*, *unitas*, *trinitas* monstrosas, et profanas voces ad Divina Mysteria pervertenda: solum denique Patrem unum illum Deum esse, qui in Scripturis unus, et solus Deus dicitur. Quae cum disseminare non desineret, ad Senatum Bernensem ductus, atque ob suam in propugnatis erroribus pertinaciam capite damnatus, anno 1561. cum ad supplicium duceretur, se, ajebat, pro gloria Altissimi Dei Patris mortem oppetere, quod nemini hactenus, sive Apostolis, sive aliis Martyribus contigerat, qui pro Filii tantum gloria passi fuerant.

Demum Laelius Socinus natione quoque Italus, et patria Senensis, cum, nomine dato Calvinianis novitatibus, Ecclesiae jugum excussisset, ad cuncta Religionis dogmata subvertenda inde processit: cum enim nonnisi ratione duce credendum esse, docuisset, omnia prorsus rejicere Religionis Mysteria pronum erat, atque haec inter omnium maxime sublimissimum, et adorandum, Divinam scilicet Personarum Trinitatem in unitate essentiae. Poloniam tamen post varias peregrinationes migratus, ac inde cum aliquot ex suis Edicto Regio expulsus, Tiguri, aetatis suae anno 37., Christi vero 1562. extremum diem obiit. At relicto Fausto Socino ejus nepote ex fratre librorum suorum, totiusque litterariae supellectilis haerede, hic patrui sui vestigia secutus, ejus errores, aliis quoque iis additis, primum in Aula Florentina apud magnum Etruriae Ducem, cui acceptus erat, per 12. annos disseminavit. Deinde vero Basileam, inde Transilvaniam, indeque Poloniam progressus, atque in illis Regionibus per aliquod tempus commoratus, consumptis in disputando, ac scribendo annis fere 20., anno demum 1604. in ignobili quodam pago Palatinatus Cracoviensis diem clausit extremum. Quotquot autem praeteritorum saeculorum haeretici blasphemias evomuerant, uterque etiam Socinus evomuit; ex quibus quae ad rem modo pertinent, sunt: Unum solummodo natura, ac persona Deum credendum esse; ac solum Patrem esse Deum illum unum, et summum, aeternum, et immutabilem, ut natura, ita et persona unicum; ejus vero Verbum, seu Filium, meram esse creaturam ex non ex-

tantibus conditam, quamquam aliis creaturis nobiliorem; ac Spiritum Sanctum veram non esse personam subsistentem, sed tantum Dei virtutem, et efficaciam. Christum denique esse purum hominem communi caeterorum more ex Josepho, et Maria ortum; ac tantum appellari posse Deum gratia, et adoptione ob excellentem potestatem, ac virtutem, qua instructus a Deo Patre fuit.

Quibus praemissis, demonstrandum modo cum fide Catholica suscipimus, tres credendas esse Personas Divinas, quae dum realiter inter se sub ratione personae distinguuntur, unam tamen eamdemque numero essentiam, naturam, substantiam habent. Sit proinde

Prop. Adsunt tres Personae Divinae realiter inter se distinctae; quae tamen unam, eamdemque numero essentiam habent. Est de fide.

Probatur 1.° ex Scripturis.

Et 1.° ex Veteri Testamento occurrunt illa Geneseos verba: *Et ait Deus: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum* (1); his enim verbis unitas simul, et pluralitas in Deo exprimitur. Unitas autem pro objecto habet essentiam, secus enim non diceretur: *Et ait Deus*; itemque *Et creavit Deus*; nec non: *Ad imaginem Dei*: Pluralitas vero habere nequit pro objecto accidentia, nullum enim in Deo accidens; ac neque etiam ipsam Dei essentiam, utpote quae indicatis verbis nonnisi una asseritur: quo utroque posito, nequit profecto pluralitas pro objecto habere, nisi existendi modum: Multiplex ergo in Deo agnoscendus hic est. Idem autem dictu est, quod multiplici modo existit, ac simul unus est quoad essentiam, quodque plures sunt Personae Divinae in unitate essentiae: Plures ergo adsunt Personae Divinae, et unus Deus.

Potest quoque ex relatis verbis aliud argumentum duci; quod nempe dum Deus dicitur unus illis verbis: *Et ait Deus*; nec non: *Et creavit Deus*, inducitur simul loquens in plurali numero, ac sermonem ordinans ad Personas distinctas, quae simul cum illo ad creationem hominis cooperentur. Nequeunt autem aliae Personae, quae ibi colloquuntur, intelligi, quam Divinae,

cum agatur de creatione, quae nonnisi Dei esse potest: Plures ergo credendae sunt Personae Divinae, quae tamen sunt unus Deus.

Hunc denique Personarum numerum ternarium esse, satis quoque deprehenditur in iisdem verbis; Pater scilicet in verbo *Faciamus*, Filius in verbo *Imaginem*, est enim filius ipsius generationis vi imago Patris; Spiritus Sanctus in verbo *similitudinem*, cum enim sit communis dilectio, et amor Patris, et Filii, appellari potest similitudo utriusque. Utuntur autem hoc loco ad probandam Trinitatem D. Chrysostomus *t.* 5. *hom.* 2., D. Ambros. *l.* 6. *in Hexamer. c.* 7., Theodoret. *qu.* 19. *in Gen.*, nec non Interpretes, et Theologi omnes.

Tria hic quidem reponunt Sociniani: 1.° scilicet Deum a Moyse loquentem induci more hominum, apud quos *usu obtinuit* (inquit Faustus Socinus). *ut cum aliquis seipsum, quantumvis solum, ad aliquid faciendum adhortatur, numero plurali utatur; ut apud Livium l.* 39., *Annibal venenum hausturus, Liberemus, inquit, diuturna cura populum Romanum.* 2.° ita loquentem induci ad Majestatem, dignitatemque significandam, ut in usu quoque est apud Principes, aliosque in dignitate conspicuos. 3.° illis verbis Angelorum ministerium in opificio hominis adhibuisse.

Primum tamen inane est, 1.° quia, testibus Aben Esra, aliisque hebraicam linguam callentibus, nullum in hebraico idiomate, quo scriptus est liber Genesis, occurrit exemplum singularis personae, quae de se numero plurali loquatur. 2.°, quia, ut D. Basilius disserit hom. 9. in Hexameron, *quis faber ferrarius, aut lignarius, aut quis sutor, solus inter artis instrumenta sedens, adjuvante ipsum nemine, dicat ipse sibi: Faciamus gladium, aut aratrum compingamus, aut conficiamus calceamentum?* Incongruum proinde est allatum ex Livio exemplum, non enim solus erat Annibal, quum mortis ignominiam declinare cupiens, *Liberemus* (ait) *diuturna cura populum Romanum*, sed intuens vel Regios milites, qui omnes, ne elabi posset, domus suae fores obsederant, vel amicos suos, aut famulos.

Inane quoque est et alterum, 1.°, cum Principes, aliique in dignitate conspicui uti coeperint plurali numero in loquendo, non quidem ad Majestatem, dignitatemque significandam, *quia gloriosius est* (ut scribit Lau-

rentius Valla Eleg. l. 3. c. 110,), *quemvis unum per se, quam cum pluribus rem claram gessisse, sed modestiae gratia, ne soli viderentur omnia gerere*. 2., quia, ut disserit Theodoretus qu. 20. in Gen., *si Deus propter auctoritatem, et Majestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset, cum ita loqui vel semper, vel ut plurimum, praesertim cum legem daret in Sina*.

Demum inane quoque est et tertium; 1.° enim cum creatio sit productio rei ex nihilo, infinita ad id requiritur potentia, ad quam proinde nec Angelus, nec creatura ulla assumi potest. 2.° quia id non patitur contextus, ubi homo dicitur factus ad imaginem, et similitudinem, non quidem Angelorum, sed Dei: *Et creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam*, ejusque tam corpus, quam anima nec quidem Angelorum, sed Dei dicuntur opus; de corpore enim legitur: *Formavit Deus hominem de limo terrae*. De anima: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*.

Secundum argumentum ex Scripturis Veteris Testamenti petitur ex c. 6. Isaiae, ubi de Seraphim Dei Solio circumstantibus testatur Propheta, quod *clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* In quae ita Duhamelius; *Divino hoc cantico Sanctissima Trinitas in unitate naturae exprimitur, ex Sanctorum Patrum unanimi consensu.* Ita sane eos inter in laudata Isaiae verba D. Ambrosius l. 2. De fide ad Gratianum c. 4. *Quid sibi vult sub uno nomine trina Sanctitatis repetitio? Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum Sanctum praeteriret; non quater, ne creaturas adjungeret. Et, ut ostenderet, unam esse Trinitatis Deitatem, cum tertio dixisset Sanctus, Sanctus, Sanctus, addit singulariter Dominus Deus Sabaoth.*

Ad idem Trinitatis Mysterium referunt quoque DD. ex Veteri Testamento illa Regii Psaltes verba Ps. 32. *Verbo Domini Coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ubi notandae tres illae voces *Domini*, idest Patris, *Verbi*, et *Spiritus*. Item quod ait Ps. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Quo in textu, praeter trinam nominis Dei repetitionem, advertunt quoque nonnulli, quod secundo tantum dicitur *Deus noster*, quia secunda tantum Trinitatis Persona, idest Filius peculiariter noster futurus erat

per carnis assumptionem. Demum quod et Moyses, et Prophetae Dei Nomen proferentes non semper utuntur singulari numero *Eloah*, vel *Jeovah*, sed nonnumquam etiam plurali numero *Elohim*; in quo Rabbinorum quoque doctissimi aliquod latere Mysterium, scripsere. Cum autem Deus semper dicatur unus, quodnam istud Mysterium, nisi pluralitas Personarum? Sed ad Novum Testamentum properemus, in quo Trinitatis Mysterium credendum luculenter proponitur. Sit itaque

Tertium argumentum ex Christi baptismo apud Matth. 3., Marc. 1., Luc. 3. Manifeste autem Trinitas Divinarum Personarum revelata tunc fuit, Patris nempe Persona illis verbis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: Filii, de quo id dictum fuit in persona Christi, quem, non adoptione, sed natura Filium declaratum fuisse, manifeste liquet ex ipsis modo relatis verbis: *Hic est Filius meus dilectus*, quae de nullo alio dicta leguntur, in quae ita proinde D. Hilarius l. 6. de Trinit. *Annon tibi in eo, quod dicitur, Hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios; sed, hic filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen; sed iste mihi filius est*: Demum Spiritus Sancti, cujus Divinam Personalitatem illic quoque designari ex eo evincitur, quod si Pater est Persona Divina, sicut et Filius est Persona Divina, quare non etiam Spiritus Sanctus ibidem designatus illis verbis: *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie, quasi columba, in ipsum*? Hinc merito ad probandam Personarum Divinarum Trinitatem istud versarunt argumentum prae aliis D. Athanasius in posteriori epistola *ad Serapionem*, D. Epiphanius *in Ancorato*, D. Aug. *l. 4. de Trinit. c. 21.*, et D. Hilarius c. 3. *in Matth.* Nec facessere debet, quod dum Personarum Trinitas expressa fuit, simul tamen expressa non fuit unitas essentiae; et hanc namque dicimus indicatam fuisse illis verbis: *Ipsum audite*, idest Christum, qui proinde audiendus et est, quum de Deo loquens, in singulari semper numero locutus fuit, ut dum Jo. 16. pluralitatem Personarum exprimens, unitatem simul essentiae luculentissime expressit: *Ego* (inquiens), *et Pater unum sumus*; in quae idcirco ita praeclare D. Aug. tract. 36. in Jo. *In duobus istis verbis, quod dixit, unum, liberat te ab Ario, quod dixit, sumus, liberat te a Sabellio. Si unum, non ergo*

diversum. Si sumus, ergo et Pater, et Filius. Sumus enim non diceret de uno; sed et unum non diceret de diverso.

Quartum petitur ex illis Christi verbis apud Jo. 14. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum veritatis.* Et c. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*: quibus ex verbis multiplex argumentum tam pro Trinitate Personarum, quam pro unitate Essentiae eruitur. Et 1.° pro Trinitate Personarum; qui enim rogat, et ab eo, qui rogatur, et ab eo, quod petitur, est alius. Rogat autem Filius; rogatur Pater; et id, quod petitur, est Spiritus: Tres igitur, non unus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Item alius sane est, qui dat; alius, qui datur; alius, per quem datur. Qui dat autem, est Pater; qui datur, est Spiritus; is, per quem datur, est Filius: Alius ergo Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Item qui mittit, distinguitur profecto ab eo, qui mittitur. Dicitur autem, quod Pater, et Filius Spiritum mittunt: Hic ergo ab utroque distinguitur, uti et Pater a Filio, utpote qui unus alteri relative oppositus. Item qui procedit, et testificatur, ab eo distinguitur, a quo procedit, et de quo testificatur. Dicitur autem, quod Spiritus procedit a Patre, et testificatur de Filio: Alius ergo Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Ita ex relatis verbis pro Trinitate Personarum. Pro unitate vero Essentiae, 1.° quia ille, qui rogat, dicitur idem, qui cum Patre mittit Spiritum. Si autem idem, par profecto est Patri, ideoque Deus, qui nonnisi unus est, ac esse potest: Ergo. Qui vero mittitur, dicitur Spiritus Veritatis. Veritas autem Deus est: Et par ergo Deo Patri, ideoque unus Deus cum Patre, et Filio. Nec Christi Divinitas detrimentum patitur ex rogatione, cum enim Christus duplici constet natura, Divina scilicet, et humana, nemo non intelligit, quod rogaverit, ut homo, ac Mediator Dei, et hominum; sicut nec Divinitas Spiritús Sancti ex Missione a Patre, et Filio, utpote quae non servitutem denotat, sed originem, qua a Patre, et Filio procedit. 2.° quia dum Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus dicuntur *alius*, et *alius*, et *alius*, ut intelligamus, quod non una, sed tres distinctae Personae sunt, non dicuntur tamen *aliud*, et *aliud*, et *aliud*. Si autem

non aliud, profecto unum, idest una Natura, una substantia, unus Deus: Ergo. Hinc D. Aug. l. de fide ad Petr. c. 1. *Una est Patris, et Filii, et Spiritus Sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.*

Quintum argumentum ex Scripturis praebet Baptismi forma, quam Christus instituit, quum post suam Resurrectionem Apostolos alloquens, *euntes* (inquit), *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (*Matth. ult.*). Immo etiam non unum, sed multiplex ex ejusmodi verbis argumentum pro Trinitatis Mysterio eruitur; 1.° enim cum dicatur *in nomine*, unus profecto Deus agnoscendus est, secus namque tum ob majorem proprietatem in loquendo, tum ne data fuisset occasio credendi, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum unum esse Deum, dum essent plures, necessarium fuisset dicere *in nominibus*. Simul autem subjungitur *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quae cum sint correlata, Pater scilicet respectu Filii, et Spiritus Sanctus respectu spirantis, sitque natura correlatorum realiter inter se distingui, hinc realiter quoque inter se distingui debent: Tres quoque igitur agnoscendae sunt Personae Divinae realiter distinctae; ac proinde tres credendas esse Personas Divinas realiter inter se distinctas in unitate essentiae, consequens est.

2.° Eodem modo, et sensu baptizamur ex relatis verbis in nomine Filii, et Spiritus Sancti, quo in nomine Patris. Pater autem, nemine ex ipsis Adversariis diffitente, est Persona Divina: Persona igitur Divina et Filius, et Spiritus Sanctus, inter quos cum adsit oppositio relativa, realem quoque distinctionem adesse, consequens est. Cumque item dicatur *in nomine*, non *in nominibus*, dum igitur sunt tres Personae realiter distinctae, unum simul earum est nomen, idest Deus, ex quo sequitur, unam, eamdemque numero habere Divinitatem, seu essentiam.

3.° Quod Filius realiter distinguatur a Patre, a quo gignitur, ex eo evidenter patet, quod nemo esse potest sui ipsius Filius, et a seipso gigni; sicut et realiter ab utroque distingui Spiritum Sanctum, ex eo patet, quod Patri, et Filio annumeretur, velut ab utroque distinctus.

Si autem unam, eamdemque numero non haberent essentiam, vel dicendi essent tres Dii, quod absurdum dictu ex ostensis l. ant., ubi de unitate Dei, vel jubens Christus in eorum nomine ex aequo, et absque ullo discriminis indicio baptizari, creaturas Deo adjunxisset, quod etiam dictu absurdum: Dum ergo sunt tres Personae realiter distinctae, unam simul, dicendum est, eamdemque numero habere essentiam.

4.° idem est baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., ac eorum auctoritate baptizari; quemadmodum dum Christus de discipulis suis ait Marci ult *In nomine meo Daemonia ejicient*, significare profecto voluit, quod auctoritate ab ipso accepta daemonia ejecissent. Si autem una, eademque Patris, et Filii, et Spiritus Sancti est auctoritas, una etiam, eademque eorum Natura esse debet; nec una, eademque haec esset, si ex iis unus esset Deus, alter creatura; uniusque auctoritas naturalis esset, essentialis, et infinita, alterius supernaturalis, accidentalis, et finita, ac derivata: Tres igitur Personae, et unus Deus.

5.° Demum per formam ejusmodi aeque consecramur, et devovemur per baptismum Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Nefas autem esset, aeque iis consecrari, ac devoveri, nisi una eorum esset Natura, quia secus aeque consecraremur, et devoveremur Creatori, et creaturae: Dum igitur tres Personae, non plures, sed unus Deus.

Inquiuntquidem Sociniani 1.°, quod etiam Exodi c. 14. de Judaeis legitur, quod *crediderunt Domino, et Moysi servo ejus*. Quis autem inde colligit, Deum, et Moysen idcirco aequari? Neque igitur ex eo quod aeque baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. 2.° de Judaeis quoque dixisse Apostolum 1. ad Cor. c. 1., quod *in Moyse baptizati sunt*. Nonne autem inde sequitur, Moysen esse Deum? Neque igitur ex eo quod baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, inferri potest, Filium, et Spiritum Sanctum esse Deum.

Utrumque tamen facili negotio exsufflatur; 1 in nempe, quia expresse Moyses distinguitur a Domino, cujus dicitur *servus*. Alterum, quia non ait de illis Apostolus, baptizatos fuisse in nomine Patris, et Moysis, ex quo sequeretur aequalis utriusque auctoritas, sed tantum *in Moyse*, idest Moyse duce mare transierunt, qui transitus ba-

ptismatis nostri symbolum fuit ex Apostolo 1. ad Cor. c. 10. Quo proinde testimonio omnes usi sunt Patres ad probandam Personarum Divinarum Trinitatem in unitate essentiae, ut D. Athanas. *or.* 3. *contra Arianos*; D. Greg. Nazianz. *or.* 32, *et* 37, ; D. Greg. Nissaenus *or. catechet. c.* 39. ; D. Basilius *l.* 3. *contra Eunomium*; Chrysostom. *hom. de Trinit.*; D. Epiphan *haer.* 62. ; D. Cyrillus Alex. *l.* 1. *in Jo. c.* 2. ; D. Hilarius *l.* 3. *de Trinit.* ; D. Ambros. *l.* 1. *de fide* c. 1. ; D. Hieron. *ep. ad Hedibiam* ; aliique.

Sextum argumentum ex Scripturis illud praebet luculentissimum D. Joannis testimonium ep. 1. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Si autem Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus dicuntur *tres* testes, non una igitur persona; cumque simul dicantur *unum*, non multiplex igitur, sed una tantum substantia, idest unus Deus: Tres ergo credendae sunt Personae, et unus Deus. Nihil profecto luculentius desiderari potest; unde factum, quod haeretici, ac praesertim Sociniani, totis viribus conati fuerint, ut tam praeclarum argumentum pro Trinitate Divinarum Personarum in unitate essentiae e Catholicorum manibus eriperent.

Et 1.° inquiunt, genuinum non esse hunc D. Joannis versiculum, sed vel e margine, ubi extabat, tamquam Scholion, in textum ex Amanuensium incuria irrepsisse, vel data opera textui fuisse insertum. Quod probare praesumunt 1.° ex eo quod in non paucis codicibus deest. 2.° ex eo quod, licet aptissimus tam Arii, quam Sabellii haeresibus profligandis, nec ab Athanasio tamen, nec a Chrysostomo, nec a Gregorio Nazianzeno, nec ab Hilario, nec ab Ambrosio, aliisque ex Patribus adversus praefatas haereses certantibus, laudatus fuit.

Genuinum tamen esse, probatur 1.° ex contextu; post versiculum namque, de quo agitur, et ordine septimum, pergit D. Joannes in versiculo octavo: *Et tres sunt, qui testimonium dant in Terra, spiritus, et aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt.* Nemo autem nescit, quod particula *Et*, utpote copulativa, supponit relationem quamdam, et oppositionem ad antecedentem versiculum; quae utique adest, posito versiculo, de quo fit quaestio; deest, illo sublato: En quomodo ex contextu genuinitas versiculi, de quo agitur, patet. Cui accedit, quod in nono

versiculo conjungens simul septimum, et octavum, pergit: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.* Quia enim ad adstruendam Christi tum Divinitatem, tum humanitatem illam S. Apostolus scripsit epistolam contra haereticos, qui tunc temporis caput extulerant; aliis ex his veram Christi Divinitatem, aliis veram ejus humanitatem negantibus, ajebat 1.° , quod veram ejus Divinitatem testantur in Coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, qui tres unum sunt; quasi diceret: Christus est Verbum caro factum, Pater autem, Verbum, et Spiritus Sanctus sunt unus Deus: Christus ergo verus est Deus. Quod autem verus quoque sit homo, ajebat 2.° , quod testantur in Terra Spiritus, aqua, et sanguis; Spiritus nempe, quem in Cruce visus fuit emisisse, nec non sanguis, et aqua, quae ex ipsius mortui latere, cunctis conspicientibus, fluxerunt, et quae simul perfectam humanitatem complent. Quare utrumque uniens versiculum, septimum nempe, et octavum, subdit versiculo nono, ut supra diximus; quasi diceret: Si testimonium hominum accipimus, qui testantur, Christum in Cruce tradidisse spiritum, percussumque lancea in latere, sanguinem, et aquam emisisse, atque hinc credimus veram ejus humanitatem; multo magis suscipere Dei testimonium debemus, qui in monte Thabor, ac prius etiam in Jordane testimonium de ejus Divinitate perhibuit illis verbis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; ac simul credere, quod sicut verus homo est, ita et verus Deus. Quod si, posito, de quo agimus, versiculo, tota cohaeret, ac nitida, et aperta est D. Joannis dictio; eo sublato, non amplius cum consequentibus cohaeret, ac tota ejus ruit oratio, genuinum illum esse, dicendum est, nulla enim certior critices regula, quod alicui textui quaedam particula inserta non fuerit, quam si, ea posita, oratio sit clara, et cohaerens; ea sublata, oratio fiat obscura, nec amplius ejus partes cohaereant.

2.° ex Trid. sess. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis, ubi ita Patres post enumeratos omnes tum Veteris, tum Novi Testamenti libros: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non*

susceperit . . anathema sit. Septimns autem D. Joannis versiculus, de quo agitur, jamdudum legi consuevit, et etiammum legitur ab Ecclesia Catholica die Dominica in Albis: Sacer igitur, et canonicus, ideoque genuinus. Qua super re consulatur quoque quod diximus l. 1. tract. 1. cap. 2. pag. 60., et 61.

3.º ex PP.; genuinum namque illum agnoscebat D. Cyprianus, nam l. de unitate Ecclesiae, ut probet servandam in Ecclesia unitatem, affert illud Christi ap. Jo. 16. *Ego, et Pater unum sumus*; ac subdit: *Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt*. Nullibi autem id scriptum est, nisi in loco, de quo agimus. Genuinum quoque illum agnoscebat D. Hieronymus; nedum enim illum servavit, dum Novum Testamentum graecae fidei reddidit, sed et in Prologo ad Epistolas Canonicas, postquam advertit, vitiatas eas fuisse non uno in loco *ab infidelibus translatoribus*, id fuisse, pergit, *eo praecipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epistola legimus trium tantum vocabula, hoc est aquae, sanguinis, et spiritus in sua editione ponentes, et Patris, Verbique, et Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime et fides catholica roboratur, et Patris, ac Filii, et Spiritus Sancti una Divinitatis substantia comprobatur*. Quod si hinc, indeque ab Eruditis disputatur, an ille Prologus sit, necne genuinus D. Hieronymi foetus, quod nostri Instituti non est ad examen vocare, negari tamen nequit, spernendae auctoritatis illum non esse, cum certe sit antiquissimi Auctoris, qui ad minimum saeculo septimo scripsit.

Genuinum quoque illum agnoscebat Vigilius Tapsensis, qui floruit saec. V., vel, ut alii volunt, Idacius Clarus Episcopus Hispanus, qui floruit IV. saeculo, l. 1. contra Varimandum; postquam enim ostendit Christi Divinitatem, quia *Joannes Evangelista ait: In principio erat Verbum, etc.*, subdit: *Item ipse ad Parthos: Tres sunt, qui testimonium perhibent in Coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*. Item eodem V. saec. Eugenius Episcopus Carthaginensis in professione fidei ab Episcopis diversarum Provinciarum Africae, Mauritaniae, Sardiniae, et Corsicae, numero fere quadringentis subsignata, et Hunnerico Ariano Vandalorum Regi oblata, quae ita ajebat, ut refert Victor Vitensis l. 3. de persecut. Ariana: *Ut adhuc luce clarius, unius*

Divinitatis esse cum Patre, et Filio Spiritum Sanctum, doceamus, Ioannis Evangelistae testimonio comprobatur; ait enim; Tres sunt, qui testimonium perhibent in Coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. Demum Hyginus Papa *ep.* 1. *ad Orthodoxos*; D. Fulgentius *resp. ad objec.* 10. *Arianorum*; et D. Bernardus *ser.* 1. *et* 2. *in octavam Paschae.*

Respondetur autem ad 1.m, quod si utique in aliquibus Codicibus deest, numero tamen, vetustate, et auctoritate plures ii sunt, in quibus legitur. Aderat enim in iis omnibus; quibus utebantur D. Cyprianus, et paullo supra laudati Patres. Aderat quoque in iis omnibus, quos Cassiodorus, summa cura, et sumptibus undequaque conquisivit, et collegit; testatur enim l. Institut. Divinarum cap. 8., quod cum eos tum inter se, tum ad fidem *priscorum* Manuscriptorum contulerit, in nullo ex illis versiculum, de quo agimus, deesse observavit, sed in omnibus, etiam *priscis*, seu vetustissimis, tum propriis, tum amicorum oculis legit. Adest quoque in Codice Britannico, permagnae ob suam vetustatem auctoritatis; repertumque fuit in iis omnibus, quibus anno 1517. usi fuerunt Auctores Editionis Complutensis, de qua testatur in praefatione Cardinalis Ximenius, *maximum laborum partem in eo praecipue fuisse versatam; ut castigatissima omni ex parte, vetustissimaque Exemplaria, Hebraea, Graeca, et Latina pro archetypis haberemus, ex quibus Graeca ex Bibliotheca Vaticana missa sunt.* Testatur quoque Robertus Stephanus in eleganti editione, quam adornavit Novi Testamenti anno 1550., quod ex sexdecim vetustis Exemplaribus Graecis, ab Italia, Hispania, et Gallia summa cura conquisitis, septem dumtaxat reperiit, in quibus non quidem integer versus deerat, sed tantum verba illa *in Coelo.* Theologi Lovanienses vero, cum innumeros fere Codices evolvissent anno 1580., quinque tantum invenerunt, in quibus deerat. Nonnisi demum numero, antiquitate, et auctoritate Codicum, in quibus extabat, victi Censores Romani, qui sub Urbano VIII. emendandis Sacris Bibliis incubuerunt, versiculum, de quo agimus, retinendum esse, censuere: idque magis, quod si repertus non fuerat in aliquibus paucis Codicibus, potuerat in iis vel omitti ob amanuensium errorem, vel supprimi ab haereticorum malitia. Utrumque autem probabilissimum est. Primum, quia dum excribantur tres versus,

quorum secundus simillimus est tertio, facillime erratur ab amanuensibus, transeundo a primo ad tertium, omisso medio. Alterum ob auctoritatem D. Ambrosii *l.* 2. *de fide c.* 15., et *l.* 3. *De Spiritu S. c.* 10., D. Hieronymi *in Prologo ad epistolas canonicas*, et Socratis in hunc loc., qui omnes haereticis suorum temporum vitium exprobant corrumpendi, et mutilandi Divinas Scripturas.

Ad alterum vero, quod nempe loco, de quo agimus, usi non fuerint laudati Patres contra Arianos, tametsi ad eos confutandos aptissimo, respondetur 1.°, id forte fuisse vel quia in Codice, quo utebantur, non extabat; vel quia nóverant, Arianos illum in dubium vocare, nec censebant necessarium ejusmodi controversiam contra eos agere, cum tot alia suppeterent Scripturarum ad eos revincendos testimonia. 2.° Quod nec omnia Patrum scripta habentur; atque ab iis, quae servata sunt, potuerunt a fidei hostibus de industria supprimi. 3.° Quod argumenta negativa contemni debere, omnes docent, quum positiva ad aliquod probandum argumenta adsunt. Et negativum igitur allatum contra positiva, quae a nobis allata fuere pro genuinitate loci, de quo agimus.

Inquiunt 2.°, quod, posita loci, de quo agitur, genuinitate, ex eo potius refellitur, quam probatur Trinitatis dogma; eodem quippe modo dicuntur Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, quod sunt *unum*, quo dicuntur *unum* Spiritus, aqua, et sanguis; idque sequitur ex eo; quod sacer Textus cum immediate antea dixerit: *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*, continenter subdit: *Et tres sunt, qui testimonium dant in Terra, Spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt.* Haec autem sunt *unum* unitate, non quidem substantiae, sed testimonii, veritatis scilicet humanitatis a Verbo assumptae: Et Pater igitur, Verbum, et Spiritus Sanctus *unum* sunt unitate, non quidem substantiae, sed testimonii, veritatis scilicet Missionis Christi, praesertim dum in Jordane baptizari voluit.

R. neg. maj.; 1.° enim in cunctis Graecis Codicibus, quo in idiomate scripta fuit D. Joannis epistola, non legitur in octavo versiculo, quemadmodum legitur in septimo: *Et hi tres unum sunt*; sed: *Et hi tres in unum sunt*; immo apud Idacium Clarum, sive Vigilium Tapsensem in libro contra Varimandum: *Et hi tres in*

nobis sunt. Quod cum ita sit, nemo non videt, magnum interesse inter septimum, et octavum versiculum discrimen. Nec ita ajendo quidquam prorsus Vulgatae Latinae detrahitur; ut enim diximus l. 1. tract. 1. cap. 3. prop. 2., quum Tridentinum illam declaravit authenticam, nullatenus vetuit occasione alicujus difficultatis solvendae alias quoque versiones, ac praesertim fontes consuli. Cumque ejusmodi Decreto neque etiam, ut ibidem diximus, illam declaraverit immunem a levissimis quibusdam mendis, neque ad fidem, neque ad mores, neque ad praecipuam rei, quae significari intenditur, sententiam pertinentibus, hinc subjicere etiam possumus cum non paucis Theologis, in Codicibus quibusdam prorsus quoque deesse in octavo versiculo postrema illa verba: *Et hi tres unum sunt*; quae item Grotius diserte tradit ob antiquissimum Mauuscriptum, in quo deprehendit, deesse, inserta textui fuisse ab Arianis; eademque deesse non minus, quam in quindecim pervetustis codicibus, deprehenderunt anno 1580. Theologi Lovanienses.

Adhuc tamen, Vulgatae Latinae lectione retenta, adest quoque ratio majorem negandi; haec siquidem propositio *unum sunt* proferri potest et de una substantia, et de rebus ad unam substantiam pertinentibus. Recte autem Spiritus, aqua, et sanguis, quae a Christi corpore in die ipsius obitus exierunt, dicuntur *unum* hoc sensu, quod ad eamdem Redemptoris substantiam, seu humanitatem pertinebant; haudquaquam tamen *unum* eodem sensu dicerentur Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, cum enim Deus sit Ens simplicissimum, et cujusvis generis compositionis expers, neque partes, neque plurium naturarum distinctionem habet, vel habere potest. Hinc unitas Patris, et Filii, et Spiritus Sancti est vera unitas, quia nempe divinitas nec partes habet, ut diximus, nec plurium naturarum distinctionem: unitas vero Spiritus, aquae, et sanguinis est unitas tantum *secundum quid*, seu potius unio, quia nempe confluunt ad unum hominem constituendum, qui ex iis, tamquam ex partibus, constat. Patet igitur ex hoc quoque capite perquam latum inter utrumque versiculum discrimen.

Probatur 2.° ex Patribus.

Necessarium tamen hic non est, Patres, qui post Nicaenum Concilium floruerunt, laudare, cum extra omnem controversiam sit, hos omnes expressissimis verbis professos fuisse, scriptisque vindicasse adversus Arianos Trinitatem Divinarum Personarum in unitate essentiae. Praecipue igitur laudabimus aliquos juxta Institutionum rationem, qui ante illud floruerunt, et hos enim omnes eamdem fidem habuisse, Arianis exprobrabat D. Athanasius l. De Decretis Nicaenae Synodi: *Vos autem, o novi (inquiens), quos Patres, qui vestris voculis faverint, exhibere potestis? Nullum certe prudentem, et sapientem umquam proferetis. Fides autem, quam Synodus scripto confessa est, ipsa vere est Catholicae Ecclesiae.* Quod et D. Gregorius Nyssaenus confirmans orat. 3 contra Eunomium, ita contra illum ajebat: *Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a Patribus venientem ad nos traditionem, velut haereditatem quamdam per successionem ex Apostolis per Sanctos sequentes transmissam.* Ex quibus tam Athanasii, quam Nyssaeni verbis patet, chorum omnem Patrum Ante-Nicaenorum eamdem Trinitatis fidem cum posterioribus Patribus habuisse.

Ut aliquos tamen proferamus, unde mendacium pateat, quod Scriptor Gallus, de quo in principio hujus capitis locuti sumus, eructare non erubuit, quod veteres Ecclesiae Patres numquam admiserint perfectam illam individualem, ac numericam *tautusiam*, ut Graeci loquuntur, idest naturae identitatem in tribus Personis Divinis, qualem Theologi Scholastici docent, audiatur D. Justinus Apol. 2. pro Christianis: *Hunc Patrem, et qui ab eo venit, Filium, et Spiritum Propheticum colimus, et adoramus.* Idem autem dictu est, Patri, Filio, ac Spiritui Sancto aeque adorationem tribuere, ac tres Personas Divinas credere in unitate essentiae, non enim, nisi Deo, adorationem posse tribui, nec Deum, nisi unum, esse posse, tota semper antiquitas agnovit.

Item Athenagoras, legatione pro Christianis, ubi: *Deum asserimus* (ait), *et ipsius Verbum, et Spiritum Sanctum; tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, actu vero, et essentia unum.*

Item Clemens Alexandrinus l. 3. Paedagogi c. 12. ubi: *Laudemus* (inquit) *Patrem, et Filium, Filium, inquam, Paedagogum, et Magistrum, una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est, quod semper est.*

Item Tertullianus l. contra Praxeam c. 2. ubi: *Custodimus* (ait) *oeconomiae Sacramentum, quae unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiae, et unius status, et unius potestatis, quia unus Deus.* Ubi per *gradum, formam*, et *speciem* essentiam, seu naturam non intelligere, sed proprietates personales, idest Paternitatem in Patre, Filiationem in Filio, etc. ex eo patet, quod tres personas *unius esse substantiae*, expresse affirmat. Pergit quoque c. 3. *Duos quidem definimus, Patrem, et Filium, et jam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem oeconomiae, quae facit numerum . . Duos tamen Deos, et duos Dominos numquam ex ore nostro proferimus.* Et c. 12. *Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum, personae, non substantiae . . Caeterum etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohaerentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus.*

Paullo etiam supra laudavimus D. Cyprianum l. de unitate Ecclesiae, ubi: *De Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: Hi tres unum sunt.*

Ex posterioribus vero Patribus, qui nempe post Nicaenum Concilium floruerunt, quemvis tantum, aut alterum laudare sufficiat ad ampliorem dogmatis expositionem potius, quam confirmationem, nulla enim, ut diximus, de iis ab haereticis ipsis movetur quaestio, quod omnes Trinitatem Divinarum Personarum in unitate essentiae praedicaverint. Praeclare igitur super hoc ineffabili Mysterio D. Gregorius Nazianzenus orat. 51., ubi illud comparans cum Mysterio Incarnationis, in eo, scribit, discrimen inter utrumque adesse, quod in Mysterio Incarnationis duas confitemur Naturas in unitate personae Verbi Dei, quodque in Christo sit *aliud, et aliud*: in Mysterio Trinitatis vero, quod sit *alius*, et *alius*; non autem *aliud*, et *aliud*; ita nempe inquiens: *Aliud quidem, atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator, non tamen alius, atque alius, absit. . . Contra in*

Trinitate res habet. Illic enim 'alius, atque alius, ne personas confundamus; non autem aliud, atque aliud, quoniam tria quoad Divinitatem unum, et idem sunt. Praeclare etiam D. Aug. l. 5. De Trin. c. 9. *Cum Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus Sanctus nec Pater sit, nec Filius, tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est: Ego, et Pater unum sumus. Non enim dixit, unum est, quod Sabelliani dicunt, sed, unum sumus.* Et l. 15. c. 23. *In illa Summa Trinitate, quae incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta inseparabilitas est, ut cum trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus et dicatur, et sit, nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus.* Et l. 2. contra Maximinum Arianum c. 10. *In Trinitate, qua Deus est, Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus Sanctus Deus est, et simul hi tres unus Deus . . . Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, propter individuam Deitatem, unus Deus est, et propter uniuscujusque proprietatem tres personae sunt, et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt.*

Probatur 3.° ex Symbolis fidei.

Fidem denique Trinitatis Personarum Divinarum in unitate essentiae, fidem esse totius Ecclesiae Catholicae, Symbolum tum Nicaenum, tum Constantinopolitanum, in subsequentibus quoque Conciliis Generalibus Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II., et III., nec non Nicaeno II. approbatum, confirmatumque: Constantinopolitanum item IV. act. 10., et Lateranense IV. C. *Firmiter*, itemque Tridentinum sess. 3. confirmans Symbolum Constantinopolitanum cum additione vocis *Filioque*: demum Symbolum, quod Athanasianum appellatur, quodque omnibus ejus Ministris Ecclesia praecipit recitandum die Dominica in horis Canonicis, nec non Professio Fidei in Episcoporum Graecorum Consecratione abunde ostendunt, ac citra omnem dubitationis aleam ponunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° , quod si ante Nicaenum Concilium habuissent primi illi fideles Trinitatis fidem , iis proculdubio Ethnici objecissent pluralitatem Deorum, quae ex ejusmodi dogmate statim menti occurrit , quamque Christi fideles Ethnicis passim exprobrabant. Id autem nusquam legitur Ethnicos iis objecisse : Nulla ergo Trinitatis fides ante Nicaenum Concilium.

R. 1.° neg. sequ. maj. ; tum quia non omnia supersunt Ethnicorum opera ; tum quia cautum erat apud veteres fideles , ne Ethnicis revelarentur fidei Mysteria , eaque profanandi , et irridendi illis occasio daretur. 2.° neg. min. ; nam et D. Justinus in Apologia pro Christianis *ad Antoninum*, et Tertullianus *l. contra Praxeam* , et Origines *l. contra Celsum* , toti sunt , ut ostendant , nequaquam ex pluralitate Personarum Divinarum , quemadmodum Christianis ab Ethnicis objicebatur , plures quoque Deos inferri. Neque hic demum praetermittendum contra Socinianos , quod si primi illi Fideles Filium , et Spiritum Sanctum unum Deum cum Patre non credidissent , sed Filium habuissent , ut ipsi inquiunt , tamquam meram creaturam , Spiritum Sanctum vero , tamquam meram Dei virtutem , et efficaciam , statim respondissent Ethnicis , falso iis objici ob fidem Trinitatis , quam profitebantur , quod plures Deos colerent , quia ex tribus Trinitatis Personis Patrem dumtaxat , tamquam verum Deum , habebant. Hinc tam longe abest , quod allatum argumentum quidquam nobis officiat , ut potius contra Socinianos retorqueri possit.

Objic. 2.° , non reperiri apud Ecclesiae Patres , qui etiam floruerunt post Nicaenum Concilium fidem Trinitatis , qualem Ecclesia Romana proponit habendam , sed tres Personas Divinas unam , eamdemque specie Naturam habere , non vero unam , eamdemque numero , eos docere. Audiatur enim D. Gregorius Nyssaenus lib. ad Abladium , ubi naturae humanae cum Divina paritatem urgens , eo venit , ut diceret , *abusum quemdam esse consuetudinis , ut eos , qui natura divisi non sunt , per ipsam naturae nomen pluraliter nominemus , ac dicamus : Multi homines. Cui simile est , si quis dicat : Multae naturae humanae. At*

vocem Deus *cum cautione*, *et observatione per singularem figuram enuntiat* (Scriptura), *hoc prospiciens*, *et cavens*, *ne diversae naturae plurali significatione Deorum in Divina essentia subintroducantur.* Patet autem ex his verbis, quod non aliter in Divinis ajebat, tres Personas unam, eamdemque naturam habere, quam sicut unam, eamdemque habent plures homines, specie scilicet, non numero. Idem quoque sensisse D. Cyrillum Alex., ex ejus Thesauro colligitur, ubi p. 1. pag. 186., *si eam ob causam* (ait) *existimant hostes Christi*, *Filium non esse consubstantialem Patri*, *quia neque Pater est Verbum*, *neque Verbum Pater*, *dicant nobis*, *quomodo primus Parens Adam consubstantialis erit illi*, *qui ex se genitus est? Cum neque ipse possit esse Abel*, *neque Abel umquam futurus sit Adam? Atqui nominum differentia substantiae identitatem non tollit, etc.* - Quid autem clarius, quam quod non aliter ajebat in Divinis, Filium esse unius, ejusdemque substantiae cum Patre, quam fuerit Abel cum Adam, idest specie etiam, non numero? Quod et D. Augustinum sensisse, satis quoque colligitur ex ejus ep. 170., alias 66 ad Maximum medicum ab Ariana haeresi ad catholicam fidem conversum, ubi, *suae substantiae prolem* (ait) *quaelibet res gignit*, *sicut homo gignit hominem*, *non alterius naturae*, *sed ejus*, *sicut ipse est. Vide*, *quam impie dicatur ipse non genuisse id*, *quod ipse est*. *Non ergo rationabiliter dicitur*, *ideo Dei Patris*, *et Dei Filii naturam esse diversam*, *quia iste Pater est*, *ille Filius*, *et Deum Patrem non genuisse id*, *quod est ipse*, *etc.* In humanis autem suam Pater communicans Filio naturam, non eamdem illi communicat naturam numericam, et individualem, sed eamdem dumtaxat specie: Et ergo in Divinis.

R. neg. cons.; quod enim praefata comparatione identitatis naturae inter homines id tantum adstruere in animo habuerint laudati Patres, quod sicut inter homines natura non est diversa, sed eadem, ita in Divinis diversa non est, sed eadem; praeter quam identitatem oppositam diversitati inter Personas Divinas, crediderint quoque, eas eamdem numero habere essentiam, eamque etiam inter eas identitatem esse, quae opponitur distinctioni numericae, et individuorum multiplicitati, patet 1.º ex eorum scopo, ostendendi sci-

licet contra Arianos, Filium ejusdem esse cum Patre substantiae, non diversae. Quod si humanae generationis similitudo in hoc tantum convenit, quod filius eamdem cum Patre naturam accipit, non diversam; deficit vero in eo, quod Pater, et Filius in humanis duo sunt, non unum, nec unus est in alio, sed uterque existit seorsum, estque singulare, ac peculiare individuum, dum e contrario in Divinis Pater, Filius, et Spiritus Sanctus unum numero sunt, idest unus Deus, nec seorsum sunt, sed, ut inquit D. Fulgentius l. de fide ad Petrum, *per unitatem naturalem totus Pater in Filio, et Spiritu Sancto est, totus Filius in Patre, et Spiritu Sancto est, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre, et Filio*: si humanae, inquam, generationis similitudo in omnibus non convenit, quid mirum, cum neminem lateat, necesse non esse, quod similitudo in omnibus conveniat? Etiamque patet 2.° ex eo quod plures Deos dicere semper Patres horruerunt; cumque simul confiterentur Personarum Divinarum Trinitatem, id utique erat, in quo reponebant tanti Mysterii altitudinem, idest, ut loquitur laudatus Nyssaenus orat. catechetica cap. 3., *quomodo idem et cadat sub numerum, et non cadat; et divisum cernatur, et comprehendatur in unitate; distinctumque sit, ac discretum consistentia, et hypostasi, et subjecto non sit divisum?* Quis autem non videt, quod unitas, quae non cadit *sub numerum*, est unitas numerica? In ipsoque libro ad Abladium totus quoque est, ut unitatem hanc numericam, et singularem ubique adstruat: *Natura* (inquiens) *una est ipsa, secum unita, penitusque, ac prorsus unitas individua est. . . quae non una cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur*. Quod et D. Cyrillum Alex. agnovisse, ac tenuisse, manifeste liquet ex ejus Dialogo De Trinitate; nec non D. Augustinum, quisque evidenter potest colligere ex ipsius verbis supra laudatis.

Objic. 3.° quod nequit Personarum Divinarum Trinitas agnosci in unitate essentiae, quin simul 1.° una persona confundatur cum alia; valebit enim istud argumentum: Pater est summus ille Deus. Filius est summus ille Deus: Ergo Pater est Filius, et vicissim Filius est Pater. 2.° quin quaelibet Persona Divina sit quoque Trina in personis; valebit enim et istud argu-

mentum : Deus ille unus , et summus est Trinus in Personis. Quaelibet autem Persona Divina est Deus ille unus , et summus : Ergo quaelibet Persona Divina est trina in personis. Utrumque autem rejicit Romana Ecclesia : Figmentum ergo Trinitas Divinarum Personarum in unitate essentiae , quam ipsa profitetur.

R. neg. sequ. maj. Ad probationem vero respondetur quoad 1.m , allatum syllogismum vitiosum esse , atque huic similem : Petrus est homo. Paulus est homo : Ergo Petrus est Paulus. Vitiosus autem est , quia constat ex praemissis particularibus , ex quibus nihil concludi potest : et praecise , quia cum medius terminus , idest *Deus* , in utraque praemissa accipiatur particulariter, prout nempe adstringitur ad eum sensum particularem , quem praecise admittit alter extremus , hinc in syllogismo non adsunt tres termini , sed quatuor contra naturam ratiocinii , quae nonnisi tres terminos , seu ideas admittit. Similiter quoque respondetur quoad alterum : vel enim vocabulum *Deus* sumitur universaliter , idest pro eo omni , quod est Deus ille unus , et summus ; vel particulariter , idest pro Deo ad certam Personam determinato. Si 1.m , propositio perspicitur manifeste falsa , cum ejus sensus sit : Quidquid est Deus ille unus , et summus , est trinum in personis ; quod omnino est falsum , nam Pater est Deus ille unus , et summus , nec tamen est trinus in personis , sed una persona est. Quod et dicatur de Filio , et de Spiritu Sancto. Si vero alterum , ambae praemissae in hoc casu erunt particulares , ex quibus , ut supra diximus , nihil poterit concludi. Accedit tamen , quod in syllogismo manifesta latet amphibologia : etsi enim Deus ille unus , et summus sit trinus in personis , prout sumitur indistincte , confuse , et communiter , non est tamen trinus in personis , quum distincte , ac specialiter pro hac , vel illa Persona usurpatur.

Objic. 4.° , quod si Essentia Divina , et Trinitas Divinarum Personarum unum sunt , profecto sicut Essentia Divina dicitur trina in Personis , aeque etiam quaelibet Persona dici potest trina in Personis. Dicitur autem , quod Essentia Divina , et Trinitas Divinarum Personarum unum sunt: Sicut igitur Essentia Divina dicitur trina in Personis , aeque etiam quaelibet Persona dici potest trina in Personis , ex quo ipsarum Personarum confusio consequens

est. Sive, ut argumentum alio etiam modo promamus, posito Trinitatis mysterio, quaelibet Persona Divina esset simul, et non esset trina; trina scilicet, quia quaelibet Persona dicitur Deus, qui simul dicitur trinus: non trina, quia quaelibet Persona neque est, neque esse potest, nisi una. Id autem contradictionem implicat: Ergo et Trinitatis dogma, quod Romana Ecclesia profitetur.

R. neg. sequ. maj.; quamvis enim Essentia Divina, et Trinitas Divinarum Personarum unum sint, quia tamen in Essentiae ideam non ingreditur perfectum complementum, quo existit, utique vero in ideam personae istud complementum ingreditur, hinc Essentia esse quidem potest trina in Personis, quia habere potest triplex complementum, persona vero nonnisi una esse potest, quia nihil esse potest perfecte completum, nisi unico modo, secus namque esset simul, et non esset perfecte completum.

Neque hic omittendum, disputatum olim fuisse, an Essentia Divina dici posset trina in Personis: quia enim nonnisi una, eademque numero est in tribus Personis, cum olim proinde legeretur in hymno, quem canit Ecclesia in officio plurimorum Martyrum: *Te, trina Deitas, unaque, poscimus*, mandavit nono Ecclesiae saeculo Hincmarus Rhemensis, supprimi ejusmodi verba, eorumque loco substitui: *Te summa Deitas, unaque poscimus*, scribens quoque hac super re librum *De non trina Deitate*. Quamvis vero adversus Hincmarum insurrexisset Gotteschalcus, contendens, non licere praefatam in Ecclesiae precibus immutationem, re tamen sedulo perpensa, immutatio, quam proposuerat Hincmarus, facta fuit, ne quis inde suspicaretur, trinam esse in Personis Divinis Deitatem. Quod si postea decimo tertio saeculo nihil erroris deprehendit in praefata enunciatione D. Thomas Aquinates, eamque adhibuit in hymno, quem universa canit Ecclesia in Officio Corporis Christi, inquiens: *Te, trina Deitas, unaque, poscimus*; quemadmodum in ea nihil quoque erroris deprehenderat D. Aug., eamque adhibuerat et *l. de duabus Animabus*, et *l.* 12. *Conf. c.* 7., et *Serm.* 52. *de Verbis Dom.*, et *l.* 1. *Retract. n.* 8., ubi eamdem loquendi formam recognoscit, confirmatque: ratum nihilominus, fixumque esse debet, quod una, eademque numero Essentia est in tribus Personis Divinis; quodque ideo praedicta locutio non adversatur fidei Catholicae, ac Hincmari tempore ob quamdam tantum oecono-

miam jussit Ecclesia eam expungi e plurimorum Martyrum officio, quia si propter Naturae communionem recte dicitur *Una Trinitas*, propter Personarum pluralitatem recte etiam dicitur *Trina Deitas*.

Ad argumentum vero altero modo propositum resp. neg. etiam sequ. maj.; utique enim quaelibet Persona est Deus; sed Deus dicitur trinus, quatenus in tribus Personis subsistens, non vero quatenus subsistens in qualibet ex tribus Personis, quemadmodum respondendo ad antecedentem objectionem advertimus.

Objic. 5.° illud Philosophorum effatum, quod ea, quae realiter conveniunt cum quodam tertio, realiter quoque inter se conveniunt. Personae autem Divinae realiter convenire dicuntur cum Natura Divina: Realiter ergo convenire etiam debent inter se; ex quo ipsarum quoque Personarum confusio consequens est.

R. dist. maj. 1.°, quod nempe ea, quae realiter conveniunt cum quodam tertio, realiter quoque inter se conveniunt in eo, in quo cum tertio conveniunt, non vero in eo, in quo cum tertio non conveniunt. Hinc autem sequitur, quod cum Personae Divinae conveniant in Essentia Divina, idem etiam inter se esse debent, ac sunt quoad Essentiam: quia vero non conveniunt ratione personae, neque etiam eaedem personae dici queunt.

2.° Dist. etiam aliter maj.; quod nempe ea, quae realiter conveniunt cum quodam tertio, realiter quoque inter se conveniunt in eo, in quo illud tertium est communicabile, non vero in eo, in quo illud tertium non est communicabile. Sic Petrus, Paulus, et Joannes conveniunt in Natura humana specifice sumpta, quia Natura humana hoc modo sumpta est quid communicabile. Conveniuntne vero in Natura humana individualiter sumpta? Haud profecto, quia eadem sic sumpta est quid incommunicabile. Hinc etiam Personae Divinae realiter conveniunt in Natura Divina, quatenus est communicabilis, idest quatenus independens, omnipotens, aeterna, immensa, immutabilis, etc.; non vero, quatenus eadem est incommunicabilis; idest quatenus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ita ut Pater sit Filius, et uterque sit Spiritus Sanctus.

3.° Dist. etiam aliter maj.; quod nempe ea, quae realiter, etiamque adaequate conveniunt cum quodam tertio, conveniunt quoque inter se; non vero si realiter,

sed inadaequate cum eo conveniant. Sic Petrus, Paulus, et Joannes, etsi realiter conveniant cum Natura humana, non tamen conveniunt inter se, quia nempe cum Natura humana realiter quidem, sed non etiam adaequate conveniunt. Hoc autem modo conveniunt quoque Personae Divinae cum Natura Divina, idest realiter quidem, sed cum ea inadaequate, seu tantum absolute sumpta, sunt namque unus Deus; non vero cum eadem adaequate, idest et absolute, et relative sumpta, dum namque sunt unus Deus, inter se tamen ratione Personae realiter distinguuntur.

Objic. 6.° quod, Deum unum esse, nec nisi unum esse posse, et fides, et ratio docent. Trinitas autem Personarum Divinarum plures quoque Deos invehit: 1.° quia ubi sunt tres personae realiter distinctae, quarum quaelibet Deus est, ibi sunt tres Dii. Quaelibet autem Personarum Divinarum dicitur Deus esse: Ergo etiam tres Dii. 2.° quia qui intelligit personam, subintelligit substantiam. Quod cum ita sit, positis pluribus personis, plures quoque ponendae sunt substantiae: Et positis ergo pluribus Personis Divinis, plures quoque Dii ponendi sunt. 3.° quia nequit multiplicari ullum nomen substantivum, quin multiplicetur forma, quae in illud ingreditur. Persona autem est nomen substantivum, in quod ingreditur substantia, tamquam forma: Nequit igitur multiplicari persona, quin multiplicetur substantia; ex quo sequitur, quod Trinitas Personarum Divinarum Deorum quoque Trinitatem invehit.

R. neg. min.; quoad 1.m enim dist. sequ. maj.; quod nempe ubi sunt tres personae realiter distinctae, quarum quaelibet Deus est, ibi sunt tres Dii, si earum Natura posset numerum suscipere, non vero, cum suscipere nequeat numerum: quia enim Deus est Ens necessarium, perfectissimum, et infinitum, hinc ex ostensis l. 2., ubi de unitate Dei, ejus Natura nequit numerum suscipere: unde infertur, quod ex positione trium Personarum Divinarum sequerentur tres Dii, si Natura Divina posset numerum suscipere, non vero cum Natura Dei suscipere nequeat numerum.

Quoad 2.m dist. maj.; quod nempe qui intelligit personam, subintelligit substantiam perfecte completam, non vero absolute, et simpliciter substantiam, secus enim sicut quaelibet persona est substantia, ita et quaelibet

substantia esset persona ; quod est aperte falsum. Positis proinde pluribus personis, necesse est, vel ponere plures substantias perfecte completas, vel unam, eamdemque substantiam pluribus modis completam.

Quoad 3 m, distinguitur quoque propositio major; quod nempe nequit multiplicari ullum nomen substantivum, quin multiplicetur forma, quae in illud ingreditur, tamquam ejus constitutivum; non vero, quae ejus constitutivum non sit. Porro in nomen substantivum personae ingreditur quidem substantia, tamquam ejus constitutivum, sed quatenus perfecte completa, non vero absolute, et simpliciter. Quare nequit quidem multiplicari persona, quin multiplicetur substantia, quatenus perfecte completa; non vero, quin absolute, et simpliciter multiplicetur substantia.

Objic. 7.°, quod si adessent tres Personae Divinae, et unus Deus, possent de Deo praedicari unitas simul; et pluralitas, communicabilitas, et incommunicabilitas. Id autem contradictionem implicat: Ergo et Trinitas Divinarum Personarum in unitate Essentiae.

R. dist. sequ. maj.; quod nempe de Deo juxta Trinitatis dogma praedicatur quidem unitas, et pluralitas, communicabilitas, et incommunicabilitas, sed sub diverso respectu, non vero sub eodem respectu; unus namque dicitur in essentia, trinus vero in personis; communicabilis, si ejus Natura absolute sumatur, incommunicabilis, si ejus Natura sumatur relative. Porro tunc solum habetur contradictio, cum idem praedicatum affirmatur simul, et negatur de eodem, et sub eodem respectu.

Objic. 8.°, quod dum dicitur Pater Filium gignere, vel Filius intelligitur existens, vel non existens. At si 1.m, frustra dicitur genitus. Si alterum, aliquando non extitit; quae ambo rejicit Trinitatis fides: Figmentum haec igitur; quod et de spiratione Spiritus Sancti, de qua idem quaeri posset, dicendum esse, consequens est.

R. neg. maj., neutrum namque dici posse, docet D. Gregorius Nazianzenus orat. 35., nec scilicet Patrem gignere Filium existentem, neque non existentem: *Ego quidem* (inquiens) *neutrum horum admitto*; sed Filium sibi coexistentem, quia eum semper genuit, ac semper generat. Ratio vero est, quia non est loquendum de ae-

terna Filii Dei generatione formulis petitis ex generatione rerum creatarum, in quibus generatio non est rei coaevae; cum e contrario fides doceat de Filii Dei generatione, quod ipsi Divinae essentiae est coaeva, quare Filius in Divinis et semper genitus est, et semper generatur.

Responderi etiam potest cum D. Basilio, quod dum dicitur Pater Filium gignere, utique Filius intelligitur existens, quia non erat, antequam gigneretur, sed erat, cum gigneretur; utque semper genitus, semper etiam fuit. Hinc ait D. Aug. ep. 34. ad Pascentium: *Semper gignit Pater, et semper nascitur Filius*. Observans simul idem S. Doctor l. 83. qq. q. 37., quod aptius dicitur, semper genitum esse, quam semper gigni; nam licet semper maneat Divinae generationis actus, semper etiam perfectus est, et consummatus. Quamobrem Christus Divinam suam generationem explicans apud Jo. c. 8., verbum praeteriti temporis adhibuit, dicens: *Ego ex Deo processi*. Qua etiam de causa nos quoque in Symbolo profitemur credere in *Filium Dei Unigenitum*, *ex Patre natum ante omnia saecula*, *genitum*, *non factum*; quae sunt praeteriti temporis. Quod si hujus generationis modum enarrare nemo potest, idipsum advertit, monuitque Jsaias illis verbis c. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Utque ostendimus l. 1. tract. 8. cap. 1. prop. 2., et hic, et in aliis quoque fidei Mysteriis silentium humanae rationi imponendum est.

Objic. 9.° Una tantum numero natura nequit, nisi in una tantum Persona subsistere, ut patet in creatis quin vel unum exemplum afferri ex adverso queat. Una autem numero esse dicitur Natura Divina: Neque igitur, nisi in una tantum Persona, potest subsistere.

R. neg. maj., et cons.; nequit enim in creatis uno tantum numero natura, nisi in una tantum Persona subsistere, quia Essentia finita nequit, nisi unum tantum subsistendi modum, suscipere. Essentiam tamen infinitam posse plures suscipere subsistendi modos, nedum fide constat, verum etiam humana ratio numquam contradictorium poterit ostendere hoc ipso, quod a finito ad infinitum nulla valet, nec valere potest illatio.

Objic. 10. Posito Trinitatis Mysterio, 1.° Filius esset simul, et non esset productus; productus scilicet ratione Personae, non productus ratione Naturae; quae cum simul dicatur una, eademque simplicissima res cum

Personis, en unum, idemque productum simul, et non productum. 2.° Deus esset simul, et non esset Ens simplicissimum; 1.m nempe ex ostensis l. 2., ubi de simplicitate Dei; alterum, quia Pater Filium gignendo, partem sui ei communicaret, nempe naturam, partem non communicaret, nempe personam. Haec autem sunt ambo absurda, et contradictionem implicantia: Figmentum ergo Trinitatis Mysterium.

R. ad 1. neg. min.; non enim absurdum, nec contradictionem implicans, quod Filius sit productus ratione Personae, improductus vero ratione naturae, est namque contradictio, ut supra etiam diximus, affirmatio, et negatio simultanea unius de eodem, et sub eodem respectu. Haec autem respectus identitas hic deest, nam licet Natura Divina una, eademque simplicissima res sit cum Personis, ab iis tamen quoad conceptum distinguitur; idque sufficit, quemadmodum declaravimus l. 2. tract. 3. resp. ad 3., ut absque contradictione Filius dicatur productus ratione Personae, non productus ratione Naturae.

Ad 2. neg. sequ. maj.; ob omnimodam enim unitatem, et identitatem Naturae in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, *totus Pater* (ut disserit D. Fulgentius l. de fide ad Petr.) *in Filio, et Spiritu Sancto est, totus Filius in Patre, et Spiritu Sancto est, totus quoque Spiritus S. in Patre, et Filio*, non quidem formaliter, idest quatenus talis Persona, sed identice, idest quatenus unus Deus.

Objic. 11: Persona ex omnium consensu est Natura ultimo terminata, et incommunicabilis alteri. Si autem quid incommunicabile, vel dicendum, Naturam Divinam subsistentem in Persona Patris esse alteri incommunicabilem, ideoque unam esse Dei Personam, idest Patris; vel Naturam Divinam subsistentem in Persona Patris, et Filii adhuc esse communicabilem Spiritui Sancto, ideoque solum Spiritum Sanctum esse Personam: quae ambo pessumdant Trinitatis Mysterium: Non ergo fidem meretur.

R. dist. maj.; quod nempe Persona est Natura ultimo terminata, et incommunicabilis alteri, quatenus eo modo subsistens, non vero quatenus possit alio etiam modo subsistere. Quare cum Natura Divina plures habeat subsistendi modos, hinc quatenus subsistens in Patre per

Paternitatem, est incommunicabilis; quatenus vero aliis quoque modis potest subsistere, scilicet in Filio, et Spiritu Sancto per filiationem, et spirationem passivam, utique est communicabilis.

Adessent et alia adversus Trinitatem sophismata; sed quae jam l. 1., ubi de unitate Dei, diluimus: quaeque omnia simul cum his, quae hoc loco allata sunt, prius objecere Ariani, et Eunomiani, ut videre est apud D. Athanasium, Gregorium Nyssenum, Epiphanium, Hilarium, Augustinum, aliosque; dein vero recudere ausus fuit Crellius, et Wolzogenius, Socinianorum omnium subtilissimi. Cuncta autem diximus diluisse; quemadmodum enim advertimus contra Baylium l. 1. tract. 8. cap. 1. prop. 3. resp. ad. 1.m, utique, ubi agatur de fidei Mysteriis, sufficit ostendisse, ut argumentum dicatur solutum, istud non esse demonstrativum, vel quia nempe aliqua ex praemissis aut in se, aut in suis principiis non est certa, vel quia aliquod vitium in forma argumenti occurrit. Cui accedit, quemadmodum etiam advertimus in tract. de Eucharistia cap. 2. resp. ad 5., innumeras quoque res, quae extra omnem dubitationis aleam sunt, comprehendi tamen non posse, ac omnem prorsus humanam fugere scientiam, quomodo sint; ut ex. gr. quomodo Coeli Astra moveantur, eamdem semper distantiam, declinationem, celeritatem servando; quomodo magnes ferrum attrahat; quomodo ingens e minutissimo semine crescat arbor; quomodo ex eodem solo tot diversorum saporum edantur fructus; quomodo animal ab animali generetur; quomodo volitionibus animae statim motiones corporis respondeant; quomodo per sonos quosdam articulatos communicentur ideae; et innumera hujusmodi. *Quid igitur impii* (ajebat proinde D. Athanasius in c. 11. Matth.) *his de rebus, quas scrutari nefas est, effutire non verentur? Illi, inquam, qui et homines sunt, nec vel ipsam rerum terrestrium naturam possunt evolvere? Immo, quae vel ipsos spectant, ipsi explicent nobis, num videlicet suam ipsorum naturam percipere queant?*

Valde etiam proderit consulere quae scripsimus l. 1. tract. 8. cap. 1. prop. 2.; quibus hic addere operae pretium existimamus quod recte advertit Auctor libelli, cui titulus italice: *La fede giustificata*, prop. 10. *L' apparente contradizione tra la fede, e la ragione na-*

sce dall' ingiungere le medesime idee ai medesimi termini, e dalla sproporzione degli oggetti, che son proprj dell' una, e dell' altra. Avendo i termini, che s' impiegano, per esprimere i Misteri della fede, anche il loro uso, per enunciare le cose, che sono dell' ordine naturale, si dura fatica ad accostumarsi a non ingiungervi le medesime idee: idee però, le quali come mai possono essere le istesse, mentre gli oggetti della fede non hanno veruna proporzione cogli oggetti naturali, ma sono di un ordine affatto differente? Sia in esempio la Natura Divina, e la Natura umana; le Persone Divine, e le Persone umane. Sebbene si esprimano coi medesimi termini di Nature, e di Persone, sono tuttavia cose di ordine differentissimo, ne vi ha tra di loro veruna menomissima proporzione, onde trarre dall' une all' altre veruna legittima induzione. Quindi presumendo trasportare, ed applicare le medesime idee alla Natura, ed alle Persone Divine, è un voler rendere la Natura, e le Persone Divine proporzionate a quel, che chiamiamo Natura, e Persone, parlando degli uomini, mentre dall' uno all' altro vi ha una distanza infinita. Il che può, e deve applicarsi egualmente a tutti gli altri Misteri della fede.

Advertendum demum hic est adversus quaternitatis errorem, quod, ut disserit Concilium Lateranense IV., cum Pater, Filius, et Spiritus Sanctus unam, eamdemque numero essentiam habeant, in Deo idcirco non quaternitas est, sed trinitas: *Una quaedam* (ita nempe can. 2.) *summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul Personae, ac singulatim quaelibet earumdem. Et ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive Natura Divina.* De qua item contra Abbatem Joachimum declaravit, quod *non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, et unitas in Natura.* Idipsum caeterum probationibus supra allatis evidenter conficitur.

CAPUT V.

De consubstantialitate Verbi Divini ; ubi et de Christi Divinitate.

Ut solidius magis, magisque semper firmemus dogma Trinitatis Divinarum Personarum in unitate essentiae, demonstrandum hoc in capite aggredimur Divinitatem Verbi; sequenti in capite demonstraturi Personalitatem simul, et Divinitatem Spiritus Sancti, quia utramque Sociniani Spiritui Sancto denegant. Quamvis autem controversia, an Verbum sit Deo Patri consubstantiale, et an Christus sit vere, et persona Deus sint duae distinctae controversiae; posset enim quis profiteri cum Nestorianis, Verbum quidem esse Deo Patri consubstantiale, at simul Christum esse meram creaturam, ejusque personam mere humanam, quia unione tantum morali, non vero personali Verbo unitum: quod nihilominus tam Verbum, quam Christus sit vere Deus, una simul demonstrandum suscipimus, tum quia Christus idem est, ac Verbum caro factum, nec nisi una, eademque est Christi, ac Verbi Persona; tum quia Sociniani, dum Verbi Divinitatem negant, tela sua omnia adversus Christi Divinitatem contorquent, quem improprie Deum dici, nec antequam ex Josepho, et Maria more ordinario nasceretur, ullatenus extitisse, inquiunt. Diximus *ullatenus*; cum enim Christus duabus distinctis, impermixtis, et inconfusis Naturis constet, Divina scilicet, quam a Deo Patre per aeternam generationem accepit, et humana, quam in tempore solius Dei virtute ex B. Virgine sumpsit, nemo dubitat, quod Naturae humanae ratione habita, seu quoad hanc, ante id tempus non extiterit.

Quibus praemissis, ut nonnihil dicamus de Christi praeexistentia, antequam e B. V. nasceretur, et ante omnes creaturas, sit

Prop. I. Christus suae e Beata Virgine nativitati, ac toti Mundo praeexstitit. Est de fide.

Prob. Et 1.º ex initio Evangelii D. Joannis, ubi S. Evangelista haec habet: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. . ; Et Verbum caro factum est.* Hic enim per Verbum personam intelli-

gi, patet 1.° ex eo quod dicatur *caro factum*; itemque Filius Dei Unigenitus illis verbis: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Dicitur autem fuisse in principio; nec ullum ejus, quod est in principio, principium est, ut enim ait D. Cyrill. l. 7. in Jo. c. 1., *principio nihil antiquius est, cum principii principium nusquam fuerit.* Quare etiam D. Chrysostomus hom. 7. in Jo. *In principio erat. Ante omnia intelligibilia, et ante saecula ipsum intellige.* Nec tantum dicitur fuisse in principio, sed et quater dicitur *erat*, *erat*, *erat*, *erat*, ut intelligatur, nullum fingi posse temporis punctum, in quo non esset, sed semper dicendum, quod *erat*, quodque omnia tempora transcendit, quare ait D. Ambrosius l. 1. de fide ad Gratianum c. 5. *Erat apud Deum, erat, erat, erat. Ecce quater erat. Ubi impius invenit, quod non erat?* Subdit quoque Evangelista, quod *per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil*; ex quo sequitus, quod extabat, antequam omnia fierent. Immo ex ipsis primo relatis verbis, *caro factum est*, sequitur item, quod extabat, priusquam caro fieret: Christus ergo et praeextitit, antequam e B. V. nasceretur, et praeextitit, antequam omnia fierent, atque ante omnes creaturas.

Reponunt Sociniani, quibus prae omnibus Haereticis illa Tertulliani verba aptius congruunt: *Haereticis mos est simplicia quaeque torquere*; ita nempe l. adv. Hermogenem c. 19.; reponunt, inquam, significasse D. Joannem, dicendo: *In principio erat Verbum*, quod in principio ipsius Evangelii erat Christus; quem appellat Verbum ex ejus officio, hominibus nempe manifestandi Dei verbum, quemadmodum ex ejus quoque officio Salvatoris, Mediatoris, etc. Salvator, et Mediator est appellatus.

Quoad 1.m tamen, quid insulsius, quasi D. Joannes potuisset Christi historiam scribere, quin Christus extitisset? *Uti si quis* (ait Tournelius) *scribens historiam Caesaris, diceret: In principio erat Caesar.* Quoad alterum vero, nedum nullum proferri potest exemplum, quo constet, alicujus Legatum, vel Praeconem dictum fuisse ejus Verbum, verum etiam nemo Prophetarum, Apostolorum, eorumque omnium, qui praedicandi Dei Legem munere functi sunt, dictus propterea

legitur Verbum Dei. Praeterquamquod, posita Socini argutatione; nulla reddi potest ratio, cur D. Joannes usus pluries fuerit *Verbi* vocabulo, priusquam ejus Incarnationis meminisset; nusquàm vero amplius, postquam dixerit, carnem esse factum, quo potius posteriori tempore hoc ei nomen convenisset, utpote quo, idest nonnisi post ejus Incarnationem, Dei voluntatem hominibus amuntiavit.

2.° Ex Christi verbis Jo. 6., ubi cum ejus discipuli murmurarent, quod dixerat, carnem suam ipsis praebiturum ad manducandum, *hoc vos* (Christus ait) *scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Propositio autem, quod ascensurus esset, ubi erat prius, significat, seu supponit, inde descendisse; utque legitur c. 1. Actuum, Coelum est locus, in quem Discipuli conspexerunt illum ascendentem, ut enim ibi refertur, cum post suam Resurrectionem per dies quadraginta cum suis discipulis conversatus esset, *videntibus illis elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in Coelum euntem illum, etc.*: Priusquam ergo in Coelum ascendisset, fuerat quoque illic; ubi cum non fuerit quoad Naturam humanam, quid dicendum superest, quàm quod aliud praeter hominem fuerit, ac secundum hoc esse supra humanum de Coelo descenderit? Potest idcirco alio etiam modo argui ex praefatis verbis, ut Socinianorum quoque argutationibus occurratur: quod nempe eodem modo intelligi ibi debet descensus de Coelo; quam ascensus in Coelum. Hic autem re, non mentaliter, vel metaphorice fuit: Et re igitur ibi erat prius, non mentaliter, vel metaphorice, ut Sociniani inquiunt. Similiter quoque argui potest ex illis aliis ipsius Christi verbis apud Jo. 3. *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo.*

Sed et reponunt, ita Christum dixisse, quia antequam inchoaret ministerium praedicationis, in Coelum raptus fuerat, ut Coelesti doctrina, quam traditurus erat, imbueretur; quemadmodum et de Moyse, antequam legem populo promulgaret; et de Paulo, ut Doctoris Gentium munus perfecte impleret, in Sacris Paginis legitur. Sed caeco, et praecipiti studio obvolvendi sententias Scripturae sermonibus imperitis talia eos somniare, probat 1.° illud Apostoli ad Heb. 9. v. 12.,

quod Christus *semel introivit in Sancta*, idest, ut idem Apostolus v. 24. interpretatur, *in Coelum*. 2.° quod de raptu ejusmodi prorsus silent Scripturae, cujus profecto, posita ejus veritate, meminissent, tum quia maximi momenti, ut nemo non videt, tum quia tot, tantaque alia de Christo referunt. 3.° quod falso Christus dixisset *erat*, quia raptus eum transeuntem, non manentem in Coelo fecisset.

3.° Ex ipsius Christi verbis Jo. 8., dum Judaeos alloquens, *Abraham Pater vester* (ait) *exultavit, ut videret diem meum. Vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinguaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Antequam Abraham fieret, ego sum.* De eadem namque existeutia Christus postremo loquebatur, de qua ipsius verba interpretati fuerant Judaei. Hi autem interpretati fuerant ejus verba de ejus existentia in tempore, cum comprehendere non possent, quomodo Christus vidisset Abraham, dum nondum esset quinquaginta annos natus: Et Christum ergo de ejus existentia in tempore locutum fuisse, sequitur, qua eum proinde Abraham ipsum praecessisse, consequens est. Sive, ut idem paucis dicamus, sicut Judaeorum objectio veram Christi praeexistentiam pro objecto habebat, ita dicendum est, quod Christi responsio ad eamdem referebatur, secus enim responsio fuisset extranea, nec ullatenus congruens. Quam inscite idcirco Sociniani obtendunt, quod non de praeexistentia temporis, sed de praeexistentia praedestinationis, qua Christus Abraham praecesserit, locutus fuerit? Sed, ut supra diximus, penes eos prae omnibus aliis Haereticis *mos est simplicia quaeque torquere*.

4.° Ex ejusdem Christi verbis Jo. 17., ubi Patrem suum alloquens, *Ego* (inquit) *te clarificavi super terram, opus consummavi; et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam Mundus esset, apud te . . . Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum Ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi ante constitutionem Mundi*. Ubi etiam, ut cavillationes Socinianorum evanescant, advertatur, non dixisse Christum; *Clarifica me claritate, quam mihi destinasti*, seu *decrevisti*, sed *quam habui*, *quam dedisti*. Hanc autem nec habere, nec accipere poterat, *priusquam Mundus esset*, et *ante consti-*

tutionem Mundi, nisi prius, et ante eum extitisset, prius enim est esse, quam aliquid habere, aut accipere: Mundo igitur eum praeextitisse, consequens est. Quod si Sociniani regerunt, claritatem illam habuisse quidem, et accepisse a saeculis, sed sola destinatione, rursum nos inquimus, non dixisse Christum: *Clarifica me claritate, quam mihi destinasti*, seu *decrevisti*, sed *quam habui, quam dedisti.* Quisnam autem umquam ait, se habere, aut accepisse, quod sibi fuerit tantum destinatum? Potestne dicere impius, qui e numero praedestinatorum sit, quod habeat, vel acceperit gratiam sanctificantem, quia ad illam rursum adipiscendam est destinatus? Potestne dicere catechumenus, quod habeat, vel acceperit characterem baptismi, quia est destinatus ad illum suscipiendum?

5.° Ex Apostolo 1. ad Cor. 8., ubi, *nam etsi sunt* (inquit), *qui dicuntur dii sive in Coelo, sive in Terra.. nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Et ad Coloss. 1., ubi loquens etiam de Christo, *qui est imago* (ait) *Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in Coelis, et in Terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* De quo etiam loquens ep. ad Hebraeos, ait c. 1., quod Deus Pater eum *constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.* Et c. 2., quod *decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, etc.* Evidens autem est, quod si per eum omnia facta, et creata sunt, sive visibilia, sive invisibilia, *et sine ipso* (ut ait quoque D. Joannes loco supra cit.) *factum est nihil*, omnibus plane rebus creatis praeextiterit: His ergo omnibus praeextitisse, magis, magisque evidens est.

Haec caeterum verba ultimo relata argumentum quoque ipsius Divinitatis praebent, cum nequeat potentia creatrix, ut sequenti libro demonstrabimus, nisi uni, ac soli Deo, convenire. Ad hunc tamen fidei articulum, per quem Christus factus est nobis, ut ait Apostolus 1. ad Cor. c. 1., *et justitia, et sanctificatio, et redemptio*, eumque colimus, ut idem Ap. ait ad Heb. 12., tamquam *fidei Auctorem, et consummatorem*; ad hunc, inquam, fidei articulum probandum, atque à Sociniano-

rum, haeresum omnium collectorum, blasphemiis vindicaudum, sit

Prop. II. Christus Dominus noster verus, et summus est Deus. Est de fide, ac nostrae fidei caput, supremumque objectum.

Probatur 1.° ex Scripturis.

Et 1.° ex illis Scripturae locis, in quibus Christo augustissimum Dei Nomen in sensu proprio tribuitur.

Praemittendum nempe, dupliciter quidem augustissimum Dei Nomen in Scripturis accipi, appellative, seu metaphorice, et proprie. Primo scilicet modo accipitur, quum sumitur ad significandam potestatem, vel auctoritatem alicui creaturae a Deo concessam; per quam Divinum aliquid in ea eluceat. Atque hoc sensu dictum fuit Moysi Exodi 7. *Constitui te Deum Pharaonis.* Et ad Judices dicitur Ps. 81. *Ego dixi Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Altero autem modo accipitur, quum vere sumitur pro Deo, a quo nempe est omnis rerum Universitas, ejusque regimen, et gubernatio. Quo tamen modo ex his duobus accipiatur, difficile non est dignoscere; proprie enim accipitur 1.° quum exprimitur per nomen *Iehovah*, utpote quod Deus sibi ipsi imposuit, tamquam sibi soli proprium illis verbis apud Jsaiam c. 42. *Ego Dominus* (in textu originali hebraico *Ego Jehovah*), *hoc est nomen meum*: *gloriam meam alteri non dabo.* Et c. 48. *Dominus exercituum Nomen ejus.* Ratio autem est, quod cum nomen *Jehovah* significet *esse a se*, seu *independenter ab alio*, nequit id, nisi uni, ac soli vero Deo convenire, juxta id, quod ipse ait Moysi illis verbis: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel*: *Qui est, misit me ad vos* (Exodi 3.)

Objicit quidem Socinus, falsum esse, quod nomen *Jehovah* nonnisi uni vero, ac summo Deo tribuitur; nam Ex. c. 17. legitur: *Ædificavit Moyses Altare, et vocavit nomen ejus Dominus* (in Haebraeo *Jehovah*) *exaltatio mea.* Itemque Ezech. c. 48. *Erit ex eo die nomen Urbis, Dominus* (in Hebraeo *Jehovah*). Ac passim denique in Veteri Testamento, ubi legitur de variis Angelorum apparitionibus Veteribus illis Patriarchis, tribuitur Angelis nomen *Jehovah*, quia Dei vices gerebant.

Sed respondetur quoad 1.m, aliud esse titulum, seu inscriptionem *Jehovah* Altari apponere, aliud ipsum *Jehovae* Nomen Altari tribuere. Illud autem, non istud loco cit. Exodi narratur, non aliud nempe, nisi titulus, seu inscriptio *Jehovae* Altari apposita, ad ostendendum, quod Deo erat dicatum. Quoad alterum, non habere Ezechielem, prout mentitur Socinus: *Et nomen Civitatis ex illa die Dominus* (idest *Jehovah*): sed: *Et nomen Civitatis ex illa die, Dominus* (idest *Jehovah*) *ibidem*. Quoad postremum vero, jam ostendimus lib. 2. tract. 10. cap. 1. prop. 1. resp. ad 1.m, pag. 86., non Angelos, sed Deum ipsum in specie assumpta Veteribus illis Patriarchis apparuisse.

2.° etiam non appellative, seu metaphorice, sed proprie Dei Nomen accipitur, quum absque restrictione, vel addito absolute, et in numero singulari usurpatur; ubi enim non proprie, sed appellative sumitur, datur id dignosci, ne errandi occasio praebeatur, vel ex restrictione, qua sumitur, vel ex quodam addito, quod satis innuit, quamdam tantum participationem potestatis, seu auctoritatis Divinae, vel aliud quoddam eminens significari. 3.° quum legitur in Novo Testamento; nedum enim ab hujus Scriptoribus numquam Dei Nomen datum reperitur cuivis Creaturae, verum etiam cum scripsisset Apostolus 1. ad Cor. c. 8., apud Ethnicos audiri, quod *sunt dii multi*, *et domini multi*, immediate subdit: *Nobis tamen unus Deus. . et unus Dominus.* 4.° demum habendum procul dubio est, quod licet concedatur semel, vel bis augustissimum Dei Nomen ob augustam aliquam qualitatem alicui creaturae tribui, frequenter tamen, nonnisi uni vero Deo, tribui potest. Ratio autem est, quia si raro id fiat, metaphora et habet locum, et potest facile dignosci; ut quum Christus aliquando appellatur *Leo*, *Vitis*, etc. At si frequenter, metaphora nec habet locum, dictio enim figurata sobrie adhibenda est, nec amplius dignosci posset, quod esset figurata, ut consideranti fit perspicuum. Quid autem inde consequens, nisi quod, dum locutio figurata adhiberetur, non raro, sed frequenter, sermo esset mendax, et ad decipiendum compositus? Id autem quam longe credendum sit a Sacris Scriptoribus, probatione non eget.

In sexcentis porro Scripturae locis augustissimum

Dei Nomen Christo tribuitur, non quidem appellative, seu metaphorice, sed proprie, quia illi et tribuitur Nomen *Jehovah*; et tribuitur absque restrictione, vel addito, sed absolute, et in numero singulari; et tribuitur a Scriptoribus Novi Testamenti; et demum non raro, sed passim tribuitur.

Et 1.° illi tribuitur Nomen *Jehovah* Jsaiae 6., ubi: *Vidi Dominum* (in Hebraeo) *Jehovah*) *sedentem super solium excelsum, et elevatum.* Quae caeterum de vero, ac summo Deo a Propheta dici, nullus quoque est dubitandi locus ob Seraphim, quae clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis Terra gloria ejus.* Nec non ob illa Prophetae verba: *Et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Pergit vero: *Et audivi vocem Domini dicentis. Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere.. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Haec verba autem ad Christum refert D. Joannes c. 12., ut ostendat, Judaeos non potuisse in Christum credere: *Propterea* (inquiens) *non poterant credere*, *quia dixit Isaias: Excaecavit etc.*; inquiens quoque, quod tunc Propheta vidit Christi gloriam, ac de eo locutus est: *Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo*: Christo igitur augustissimum Dei Nomen in sensu proprio tribuitur.

Reponunt Sociniani, vel pronomen *ejus* ad Deum Patrem referendum esse; vel Christi gloriam, de qua D. Joannes loquitur, eam esse, quam accepturus erat post suam Resurrectionem; vel demum ejus gloriam dici gloriam Dei, quia ista in illa includitur. Ubinam tamen D. Joannes vel Dei Patris, vel Christi Resurrectionis meminit? Et quomodonam Jsaias videndo gloriam Dei vidit et Christi gloriam, nisi Christus esset verus natura, et substantia Deus, cujus gloria essentialis sejungi a gloria Dei non potest?

Illi item tribuitur Nomen *Jehovah* Isaiae 8., ubi: *Dominum exercituum* (in Hebraeo *Jehovah*) *ipsum sanctificate. Ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel,*

in laqueum, et in ruinam habitantibus Jerusalem. De Christo autem haec Jsaiam pronuntiasse, Novi Testamenti Scriptores, quorum interpretationem respuere Sociniani nequeunt, aperte testantur; ut quum Lucae 2. scribitur, quod Sanctus Senex Simeon cum accepisset Jesum in ulnas suas, ad eum repletus Spiritu Sancto haec Jsaiae verba retulit: *Positus est hic* (inquiens) *in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur.* Nec non, quum Apostolus ad Romanos c. 9. de Judaeis loquens, Christum illis indicat, inquiens: *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem, et petram scandali; et omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Nec non etiam D. Petrus ep. 1. cap. 2., ubi hoc idem Jsaiae oraculum ad Christum referens: *Per Jesum Christum* (inquit), *propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem. . . Hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali his, qui offendunt verbo:* En igitur Christo rursus nomen *Jehovah* tributum, ideoque et proprie Dei Nomen.

Idem quoque Nomen, idest *Jehovah*, illi tribuitur Jeremiae 23., ubi: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit. . . In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster* (in Hebraeo *Jehovah justitia nostra*). Haec autem de Messia esse intelligenda, Rabbini omnes veteres unanimiter docent, ut erudite ostendit Huetius *in Demonstr. Evang. prop. 7. n.* 16.; quod et caeterum manifeste liquet ex contextu, non enim, nisi Messias futurus erat *germen David* per excellentiam, nec non *Rex* absolute, et simpliciter, idest universalis, ut dicitur Luc. 1.; ac demum, qui futurus esset *Salvator*, et *justitia nostra*, ut ait Ap. 1. ad. Cor. c. 1.: En Christo igitur rursum nomen *Jehovah* tributum, ideoque et proprie Dei nomen.

Reponunt Sociniani, verba illa: *Et hoc est Nomen, quod vocabunt eum, etc.*, referenda esse ad *Israel*; quemadmodum etiam Jeremiae c. 33. v. 15., ubi legitur in Hebraeo: *In diebus illis servabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter; et hoc nomen ejus, quo vocabit eam Jehovah justitia nostra*, vox *Je-*

hovah ad Jerusalem refertur. Utrumque tamen eorum impudentiam ostendit; quoad 1.*m* enim ubinam legitur Israel vocatum aliquando fuisse *Jehovah?* Quoad alterum vero, non legitur loco citato in Hebraeo, quod Jerusalem vocanda foret *Jehovah*, sed quod nomen ejus, qui eam esset vocaturus ad salutem, futurus erat *Jehovah*; ex quo proinde alius quoque habetur locus, quo Christus ejusmodi nomine appellatus fuerat.

Eodem quoque *Jehovae* nomine insignitur apud Zachariam c. 11., et 12.; ita enim Zacharias c. 11. inducit *Jehovah* dicentem: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus.* (in Hebraeo *Jehovah*) *ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Qui autem haec per Zachariam dixerat, est Christus, ut D. Matthaeus interpretatur c. 27. illis verbis: *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, etc.* . Legitur vero apud Zachariam: *Projice illud ad statuarium.* . *Et projeci illos in domum Domini ad statuarium*, quia Judas, poenitentia ductus, triginta argenteos, quos a Judaeis acceperat, projecit in Templum, et ager figuli emptus ex illis fuit.

Audiatur modo idem Vates c. 12., ita enim inducit quoque illic Zacharias *Jehovah* loquentem: *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae, et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt, etc.* . Declarat autem D. Joannes c. 19., quod is, ad quem praedixerat Zacharias, quod Judaei aspecturi essent, postquam eum confixissent, fuit Christus; dum enim refert, quod *unus militum lancea latus ejus aperuit*, continuo subdit: *Ut Scriptura impleretur: Videbunt, in quem transfixerunt.* Hinc Sociniani aliud ad hoc reponere nesciunt, nisi textum esse corruptum, delendasque esse illas voces *ad me*; cum tamen omnia Textus exemplaria, nec non et Vulgata Latina ab Ecclesia consecrata, cumque ea omnes Versiones illis repugnent.

Quibus demum accedit Dominatoris nomen Christo tributum apud Malachiam c. 3.; primum enim inducitur dicens: *Ecce Ego mitto Angelum meum*,

et praeparabit viam ante faciem meam. Hic autem, qui missurus erat Angelum suum, ut praepararet viam ante faciem suam, erat Christus, ipso Christo interprete apud Matth. 11., ubi per Angelum praecursorem suum, declarat, intelligendum esse Joannem Baptistam: *cujus missio* (ut scite advertit Duhamelius in hunc locum), *quia communis erat tribus Personis, a Propheta tribuitur Filio, ab Evangelistis Patri, ut ostendatur eadem utriusque Natura, et potestas, et operatio, et distinctio Personarum.* Sed redeamus ad Malachiam, qui itasubdit: *Et statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator, quem Vos quaeritis.* En Christus, qui in se declaravit loco citato hoc impletum esse Malachiae oraculum, nedum appellatus Dominator, verum etiam ille, cui erectum fuerat Templum in Jerusalem; per quem etiam neminem, nisi verum, et summum Deum, posse intelligi, nemo est, qui, non videat. Hinc quoque Sociniani, cum aliud nequeant respondere, mendum in textum irrepsisse, inquiunt; repugnantibus tamen illis tam Vulgata Latina a Tridentino consecrata, quam omnibus Versionibus eodem modo legentibus.

Ad alteram minoris propositionis partem gradum modo faciamus; nedum enim augustissimum Dei Nomen in tot, tantisque Scripturae locis Christo tribuitur in. sensu proprio, quia ipsi tribuitur nomen *Jehovah*, ut hactenus ostendimus, verum etiam, quia ipsi tribuitur Dei Nomen absque restrictione, vel addito, sed absolute, et in numero singulari.

Ita nempe Isaiae pluribus in locis, in quibus Christum semper Prophetam respexisse, notius est, quam ut probatione egeat; scilicet c. 7., ubi: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*; quem locum Christo applicat D. Matthaeus c. 1.; exponens simul, quod per *Emmanuel* significatur *Nobiscum Deus.* En ergo Christus appellatus Deus, nobiscum in carne habitans. Item c. 9., ubi: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis; et factus est Principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis*; quae de Messia dicta fuisse, omnes Judaei veteres tradunt. Et c. 25. *Ecce*

Deus noster iste , expectavimus eum , et salvabit nos ... exultabimus., et laetabimur in salutari ejus. Et c. 35. *Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis ; Deus ipse veniet , et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum , et aures surdorum patebunt. Tunc saliet , sicut cervus, claudus , et aperta erit lingua mutorum*. Quae Isaiae verba sibi ipse Christus applicat Matth. 11. ; respondens nempe Joannis Baptistae discipulis , qui eum interrogaverant, an ipse esset, qui expectabatur ? *Euntes, renuntiate Joanni , quae audistis , et vidistis : Caeci vident , claudi ambulant, etc.* ; quibus ex signis Messiam dignoscendum fore , Isaias loco citato praedixerat. Et c. 40. *Ecce Deus vester; ecce Dominus Deus in fortitudine veniet*. Et Ps. 49. *Deus manifeste veniet ; Deus noster , et non silebit*.

Tam exigua autem sunt , tam futilia , tamque impudentia , quae ad haec Sociniani regerunt , ut nullam prorsus responsionem mereantur.

His porro , quae deprompsimus ex Veteri Testamento , ubi Christus appellatur Deus absque restrictione , vel addito , sed absolute, et in numero singulari , accedunt pleraque alia id genus ex Novo Testamento , a cujus Scriptoribus , ut diximus , numquam Dei Nomen cuivis creaturae datum reperitur.

Et 1.° augustissimum Dei Nomen illi D. Joannes tribuit in ipso sui Evangelii exordio , ubi testimonium ejus Divinitati statim reddens , *In principio* (ait) *erat Verbum , et Verbum erat apud Deum , et Deus erat Verbum . . , Et Verbum caro factum est* (1.). Quid clarius ? Verbum quippe , quod caro factum est , dicitur Deus. Verbum autem caro factum est Christus : Deus igitur Christus.

Duo quidem ad luculentissimum istud D. Joannis testimonium Sociniani regerunt : 1.° quod interpunctio ponenda est post verba : *Et Deus erat*. 2.° quod posita etiam interpunctione , ubi nos eam ponimus , nomen tamen *Deus* absque ullo articulo illud comitante summum Deum in Graeco idiomate non designat. Porro Verbum in hoc Joannis loco *Deus* quidem dicitur , sed absque ullo articulo nomen *Deus* comitante.

Sed non est utrumque , nisi inanissimum effugium. Quoad 1.m enim , nedum id gratis asseritur contra Vulgatam Latinam ab Ecclesia , ut non semel diximus ,

consecratam, immo et contra omnium Codicum lectionem, cum nullus proferri possit, qui interpunctionem posuerit post verba: *Et Deus erat*; verum etiam quid necesse erat, ut D. Joannes admoneret, quod Deus esset illo tempore, quo Verbum erat apud eum? Poteratne Verbum apud eum esse, nisi ipse esset? Quoad alterum vero, nedum ipse Socinus scribit, illam articulorum regulam non esse in Graeco idiomate perpetuam, seu constantem, verum etiam non raro nomen *Deus* cum articulo comite de falsis Gentium Numinibus enuntiatur, ut cum 2. ad Cor. c. 4. dicitur: *Deus hujus saeculi etc.*; et e contrario absque ullo articulo ad enuntiandum verum Deum restringitur, ut in ipso c. 1. Joannis, quum dicitur: *Fuit homo missus a Deo.* Et: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Caeterum Christus nedum absque articulo, verum etiam cum articulo comite, atque hoc maxime emphatico, *Deus* dicitur in aliis Novi Testamenti locis; ex quibus proinde magis semper, magisque confirmatur, quod verus, et summus est Deus.

Ita nempe prae aliis locis ep. ad Rom. c. 9., ubi Apostolus de eo loquens, *ex quibus* (ait), idest e Judaeorum Patriarchis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Nihil certe aptius ad frangendam cujusvis pertinaciam; ibi enim Apostolus, nedum duplicem distinguit in Christo naturam, humanam nempe, inquiens, Christum esse e Judaeis orinndum *secundum carnem*, et Divinam, secundum quam est *Deus*, nedum, inquam, duplicem distinguit in Christo naturam, humanam, et Divinam, sed et pergit, quod *est super omnia Deus benedictus in saecula*, quae nonnisi de eo, qui verus, et summus est Deus, praedicari posse, ex ipsis terminis patet, idemque Apostolus confirmat c. 4. ad Ephesios, ubi de Deo Patre ait: *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes*; et c. 1. ad Rom., ubi creaturas Creatori opponens, inquit: *Servi erunt creaturae, potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula, Amen.* Porro Deus Pater, omniumque Creator, ipsis fatentibus Socinianis, verus, et summus est Deus: Hunc proinde esse Christum, utpote commune habentem elogium, quod *est super omnia Deus benedictus in saecula*, consequens est.

Duo quidem ad horum verborum robur infringendum Sociniani excogitarunt · 1.° post verba *secundum carnem* ponendam esse interpunctionem ; eaque posita, non ad Christum, quae sequuntur, verba, sed ad Deum Patrem per quamdam exclamationem referri, et legendum esse : *Is, qui super omnia est Deus, sit benedictus in saecula.* 2.° Nomen Dei in Pauli epistolam irrepsisse, quod Erasmus probat, quia D. Cyprianus, Hilarius, et Chrysostomus videntur legisse : *Qui est benedictus in saecula*, Dei nomine omisso : Grotius vero, quia in Syriaca versione deest.

Quoad 1.m tamen, quis non videt, id esse, non Scripturas interpretari, sed turpiter pervertere, ac corrumpere? Cui accedit, quod adversatur tum Vulgatae Latinae, tum omnibus Versionibus, quae omnes eodem modo legunt : quare et relatum textum eodem modo exhibet unanimis Patrum consensus. Ita nempe D. Irenaeus *l.* 3. *c.* 18. ; Tertullianus *l. contra Praxeam c.* 8., *et* 15. ; Novatianus *De Trinit. c.* 13. ; D. Athanasius *orat.* 2. *contra Arianos* ; D. Gregorius Nyssenus *l.* 10, *contra Eunomium* ; D. Hilarius *l.* 4., *et* 8. *De Trinitate* ; D. Ambrosius *l.* 1. *De Spiritu Sancto c.* 3. ; D. Augustinus *l.* 2. *De Trinit. c.* 13., *et l.* 1. *contra Faustum c.* 3. ; D. Cyrillus Alex. *l.* 1. *Thesauri* ; Idacius *l.* 1. *contra Varimandum* ; D. Greg. Magnus *hom.* 8. *in Ezechielem*, aliique. Ad id vero, quod ait Erasmus, et Grotius, respondet Petavius *l.* 11. *de Trinit. c.* 9. *n.* 11. quoad D. Cyprianum, quod Erasmus in mendosum Codicem incidit, ac ab eo deceptus fuit : caeterum eodem quoque modo relatum textum exhibet ipse D. Cyprianus l. 2. testimoniorum contra Judaeos. Quoad Hilarium vero, et Chrysostomum, respondet Laurentius Berti *De Theol. Discipl. l.* 7. *c.* 11., quod necesse non erat, ut ubique a Patribus Scripturarum textus integri proferrentur. Dicendum denique est, quod Grotius vel erraverit, vel etiam mendoso Codice deceptus fuerit, ut assereret, nomen Dei in Syriaca Versione deesse ; ita enim haec habet : *Apparuit Meschicho in carne, qui est Deus super omnes ; cui sint laudes, et benedictiones in saeculum saeculorum. Amen.* Ubi caeterum, etsi deesset Nomen Dei, satis quoque esset ad Christi Divinitatem probandam, quod dicitur benedi-

etus in saecula, cum hoc ipsum nonnisi uni etiam vero, ac summo Deo convenire possit.

Nedum tamen relato loco ad Romanos, sed et epistola ad Titum c. 2. Deus quoque dicitur cum praefixo articulo, atque hoc maxime emphatico illis verbis: *Expectantes beatam spem, et adventum gloriae Magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Ubi quod *Magnus Deus* non sit a Christo diversus, ut Sociniani regerunt, ex eo evidenter liquet, quod non Pater, sed Filius, seu Christus venturus est, ut sedeat Judex vivorum, et mortuorum. Nec non ep. 1. Joannis c. 5., ubi S. Apostolus, *Scimus* (inquit), *quod Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita aeterna.* Quo in loco advertendum 1.°, quod pronomen *verus* ad nomen proxime praecedens referendum esse, probatione non eget. Nomen autem proxime praecedens est Filius, seu Christus: Ad hunc ergo est referendum, qui proinde verus, et summus est Deus. Hinc ruit Socinianorum argutatio, dicentium, pronomen *verus* referendum esse ad *verum* Deum, nempe ad Patrem. Cui accedit, et quod id gratis omnino asseritur; et quod, posita Socinianorum argutatione, tam subjectum, quam praedicatum subsequentis propositionis idem prorsus significarent, esseique sensus: *Hic verus Deus, est verus Deus.* Advertendum 2.°, quod cum nemo praeter verum, ac summum Deum rationem habere possit Summi Boni, et ultimi finis, in quo quiescamus, si Christus proinde verus, ac summus Deus non esset, neque etiam esse posset vita aeterna, futura scilicet beatitudo, quam expectamus, et qua aeternaliter vivemus. Haec autem esse dicitur: Verus ergo, ac summus Deus.

Quod demum non raro, sed passim augustissimum Dei Nomen Christo in Scripturis tribuatur, demonstrandum amplius non est, quia manifeste sequitur ex dictis. Quare, ut sub uno intuitu, quae hactenus ostendimus, habeantur, si augustissimum Dei Nomen, dicimus, Christo in Scripturis, non appellative, seu metaphorice, sed proprie tribuitur, dubitandum profecto non est, quod verus, et summus est Deus. Ex ostensis autem augustissimum Dei Nomen illi in Scripturis tribuitur, non appellative, seu metaphorice, sed proprie, quia

et illi tribuitur nomen *Jehovah*, quod cuivis creaturae est incommunicabile; et illi tribuitur absque restrictione, vel addito, sed absolute, et in numero singulari, quo pariter modo nulli umquam creaturae tribuitur, immo potest tribui; et illi tribuitur in Novo Testamento, a cujus Scriptoribus numquam appellative, seu metaphorice usurpatur; et illi demum tribuitur tam in Veteri, quam in Novo Testamento non raro, sed passim, quod, nisi Christus vere esset Deus, fieri nullatenus poterat, quin sermo fuisset mendax, et ad decipiendum compositus: Verus ergo, ac summus est Deus.

Probatur 2.° ex illis Scripturae locis, in quibus Christo tribuitur Dei Natura.

Ita scilicet 1.° ep. ad Philippenses c. 2. illis verbis: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, etc.* Ubi per formam Dei intelligi Naturam Dei, probat 1.° verbum *esset*, quo Apostolus utitur, quodque aliquid constans, et permanens significat; maxime si opponatur verbo *accipiens*, quod postea usurpat, ut significet, quod forma servi illi non erat propria, sed eam in tempore assumpserat. 2.° subsequens contextus, quod *non rapinam* (rem scilicet a se alienam, et extraneam) *arbitratus est, esse se aequalem Deo.* In quae proinde ita D. Aug. *Quare non est rapina? Quia est natura* (*In Ps.* 126. *c.* 14.). 3.°, quod tam forma Dei accipi eo loci debet pro Natura Divina, quam forma servi sumitur paullo post pro Natura humana. Pro hac autem sumitur paullo post forma servi, ut patet ex illis verbis, quibus formam servi sic Apostolus explicat: *In similitudinem hominum factus*; quae verba ipsimet Sociniani non intelligunt de mera hominis specie, et apparentia, sed de vera hominis natura, quippe quod fatentur, Christum vere hominem fuisse: Per formam Dei igitur Naturam Divinam intelligi eo loci debere, consequens est. Idem porro dictu est, quod Christus, praeter Naturam humanam, Naturam quoque Dei habet, quodque verus, ac summus est Deus. Talis igitur.

Inquiunt hic Sociniani, quod per formam Dei intelligenda sunt mirabilia, quibus Christus *non aliter, ac si Deus quidam fuisset, rebus omnibus imperavit, et summam suam potestatem per stupenda illa opera exercuit; imperare enim, et dominari divinum est.* Ita ex iis Schlictingius resp. ad Wiettum; pergens ibidem, quod e contrario per formam servi intelligi debent passiones, quibus se obtulit, cum se scilicet *hostium suorum potestati, ac libidini permisit, cum se capi, vinciri, caedi, raptari, in crucem denique agi, et occidi passus est.*

Sed eos Scripturas hisce argutationibus pervertere, probat 1.°, quod et Apostoli, et millia quoque aliorum fidelium insignia patrarunt miracula; nec non passiones, probra, ac mortem pro Christi nomine subierunt; nec tamen ullibi de iis dictum fuit, quod cum essent in forma Dei, formam servi acceperint. 2.° quod, insulsa etiam Socinianorum argutatione posita, in ostensione scilicet signorum formam Dei reponendam esse, de qua Apostolus loquitur, in passionibus vero formam servi, tunc eorum argutatio haberet locum, quum Passionis suae tempore nihil Divinum per signorum ostensionem in Christo effulsisset. Id autem quam falsum sit, nemo nescit; quot enim tunc temporis splendidissima patravit miracula; et scilicet quum unius voculae vi milites contra eum missos prostravit; et quum Malcho auriculam solo tactu restituit; et quum, Cruci affixo, tenebrae factae sunt super universam Terram ab hora sexta usque ad horam nonam, qua expiravit: et quum expiratus velum Templi a summo usque ad deorsum scidit, Terram concutiit, monumenta reseravit, etc.?

Aliis demum praetermissis, quae superessent, Dei Naturam Christo inesse, efficaciter quoque probat, quod ait Ap. ad Colossenses c. 2., ubi de Christo loquens, *in quo* (ait) *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*; quid enim per *omnem plenitudinem Divinitatis*, nisi totalitas Divinitatis; non vero aliqua dumtaxat participatio, ut Sociniani inquiunt, quae in gratia, in miraculis, in munere, aliisque id genus donis consistat? Quae item Divinitatis plenitudo *inhabitare* in eo dicitur, quia non extrinsecus assistens, sed intrinsecus inhaerens; itemque *corporaliter*, idest per veram, physicam, et hypostaticam unionem, per quam *Verbum caro factum est* (Jo. 1.).

Nihil autem insanius excogitare poterat inter Socinianos Wolckelius *l.* 5. *de vera Relig. c.* 10., ut tam disertum Apostoli testimonium frustraret, quam dicendo per Divinitatis plenitudinem intelligendam esse perfectam Divinae voluntatis cognitionem, quae Christo inerat. Ut autem nonnihil diceret, rationem addit, inquiens, quod si Apostolus ipsam Divinitatem intelligeret, ad quid vox *plenitudo*, quasi Natura Divina posset alicui inesse non integra, et plena?

R. tamen, probatione non egere, quam latum discrimen sit inter plenitudinem Divinitatis, et cognitionem Divinae voluntatis. Ideo autem inquimus, adhibuisse Apostolum significantia illa verba, quod in Christo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ut nempe excluderet futurum Socinianorum sensum, quod non jam *omnis plenitudo*, sed *participatio* tantum Divinitatis in Christo agnoscenda est.

Probatur 3.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Christus dicitur Deo Patri consubstantialis.*

Ultro primum fatemur, quod haec vox *consubstantialis* nullibi Scripturarum extat *materialiter*; satis tamen esse debet, quod in iis extet *formaliter*, quatenus nempe Scripturae verba idem quoad conceptum significant. Hoc autem modo adeo evidenter in Scripturis reperitur, quod Christus est Deo Patri consubstantialis, ut Nicaena Synodus hanc consubstantialitatis vocem, graece *omousion*, consecraverit, tamquam Catholicae fidei tesseram, qua omnis a Catholicis effugeretur Ariana fraus circa Christi Divinitatem: *Hoc verbum* (ait D. Ambrosius l. 3. de fide c. 7.) *in tractatu fidei posuerunt Patres, quod id viderunt adversariis esse formidini, ut tamquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandae caput haeresis amputarent.* Praeiverat D. Athanasius l. de Synodis, *vocis istius* (inquiens) *exquisita ratio omnes eorum argutias, quibus simplices circumveniunt, excludit. . . . quam proinde Patres pro munimento, et arce contra omnia illorum impia commenta scriptam objecerunt.* Hinc cum a Semi-Arianis substituta fuisset vox *homoiousion*, hanc quoque Ecclesia rejecit, tum quia id, quod alteri simile dicitur, quodque per ejusmodi vocem significatur, proprie loquendo, non est omnino idem cum

eo in natura, et substantia, ut homo ex. gr., qui ad similitudinem Dei factus dicitur; tum quia vox similis de accidentibus potius, quam de substantiis praedicatur. Ita nempe D. Athan. *l. cit.*; D. Basilius *ep.* 141.; D. Ambrosius *l. De Divinitate Filii c.* 2.; et D. Cyrillus *Dial.* 1. *De Trinitate.*

Innumera autem sunt, in quibus enuntiatur haec Christi cum Deo Patre consubstantialitas. Et 1.° evidenter id probant ipsius Christi verba apud Jo. 10., *Ego, et Pater unum sumus*; in quae proinde ita D. Aug. tract. 36. in Jo. *In duobus istis verbis, quod dixit, unum, liberat te ab Ario; quod dixit, sumus, liberat te a Sabellio. Si unum, non ergo diversum. Si sumus, ergo et Pater, et Filius. Sumus enim non diceret de uno; sed et unum non diceret de diverso.*

Inquiunt quidem hic Sociniani, ut more suo luci tenebras offundant, intelligendum Christum eo loci esse de unitate, non substantiae, sed voluntatis; ut quum ait Jo. 17. *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Et infra: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Et Actuum 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.*

Sed respondetur 1.°, quod non ait Christus: *Ego, et Pater unum volumus*, sed *unum sumus*; nec ullibi Scripturarum, ut advertit D. Aug. l. 6. De Trinit. c. 3., et D. Thomas lect. 5. in hunc locum, invenitur simpliciter dictum *unum sunt* de iis, quorum natura est diversa. 2.° quod in allatis a Socinianis locis tum particula *sicut*, tum subjecta materia indicat similitudinem, cujus non est, ut quae dicuntur similia, in omnibus conveniant, dum e contrario in loco, de quo agitur, nihil ejusmodi habetur. 3.° demum quod adeo ex relatis verbis evidenter probatur Christi cum Deo Patre consubstantialitas, unaque individua Divinitas, ut, iis auditis, lapides in eum sustulerint Judaei, eumque voluerint lapidare, tamquam *de blasphemia*, *quia cum homo esset*, *faceret seipsum Deum* (*ibid.*); unde ait de Arianis D. Aug. tract. 16. in Jo., noluisse eos intelligere, quod Judaei perspexerant. Hinc et advertendum, ex quo item majus robur argumento accedit, quod si Christus non agnovisset verum, quod ipsi a Judaeis objiciebatur, debuisset pro Dei honore crimen ipsi objectum

refellere, dicendo: *Non sum Deus*; quemadmodum Joannes iis, qui Messiam tamdiu expectatum eum esse, arbitrabantur, ingenue inquit: *Non sum ego Christus.* Nedum autem Christus Judaeorum opinionem non perstrinxit, quinimmo eam confirmavit, inquiens: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio. . operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre*: Verum ergo agnovit, quod ipsi dixerant; ex quo proinde aliud quoque habetur argumentum, quod consubstantialis, et unus Deus cum Patre dicendus est.

Idem vero confirmatur ex ejusdem Christi verbis Jo. 16. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. . Non creditis, quia Ego in Patre, et Pater in me est?* Quo in loco notandum cum D. Aug. *tract.* 70. *in Jo.*, videri aliquod non posse, viso alio, nisi sint perfectissime similia; ut ex. gr., aliquo homine viso; alium videri, nisi eamdem habeant staturam, eumdem colorem, eadem lineamenta. Nulla autem creatura perfectissimam habere potest cum Deo similitudinem; nec objectum creatum, et finitum exacte, et adamussim objectum infinitum, et superioris ordinis repraesentare: Non ergo Christus creatura, ideoque Deus; qui cum, nisi unus, esse nequeat, unus ergo cum Patre Deus, ideoque illi consubstantialis.

Idem quoque ex ejusdem Christi verbis ibidem paullo infra: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Et c. 17. *Ego pro eis rogo. Non pro Mundo rogo; sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt; et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* His autem verbis perfectam Filii cum Patre unitatem identitatis, et substantiae, quae consubstantialitas vocatur, significari, cuivis consideranti fit perspicuum; ut enim disserit D. Aug. l. contra Maximinum Arianum, ac praecise occurrens objectioni Arianorum dicentium, Filium esse minorem Patre, quia totum, quod habet, a Patre accepit: *Non potest* (inquit) *is, qui accepit, ei, qui dedit, esse inaequalis, quia et hoc accepit, ut esset aequalis. Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit, omnia, quae habet Pater, mea sunt.*

Probatur 4.° ex illis Scripturae locis, in quibus vere, et natura dicitur Dei Filius.

Et sane, si Christus vere, et natura est Filius Dei, procul dubio habendum, eum quoque vere, et natura esse Deum, nequit enim Deus Pater, nisi Deum Filium gignere. Vere autem, et natura est Filius Dei; 1.° enim de Christo sermonem fieri Ps. 2., ubi dicitur, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; Ego hodie genui te*, testantur tum Actus Apostolorum c. 2., tum D. Paulus ep. ad Hebraeos c. 1., et 5.. Porro, ut disserit Bossuetius in Dissertatione, quam ad calcem suarum Annotationum in Libros Salomonis apposuit, cum dicatur *ad me*, non ad alios ergo referri possunt, sed proprie, et singulariter ad Christum, qui proinde Filius, non per adoptionem, cum plurimi alii sint per adoptionem filii, sed per naturam, seu naturalis dicendus est. Quod magis etiam, magisque ex subsequentibus verbis elucet: *Filius meus es tu*, unicus nempe, singularis, naturalis, ac talis, ut Apostolus loco citato interpretatur, ut nemini alteri ista Filii denominatio eodem modo possit tribui: *Cui enim Angelorum* (ita Apostolus) *aliquando dixit, Filius meus es tu?* Quare et dicitur Ps. 109., quem de seipso Christus exposuit Matth. 22., *genitus ex utero*, idest ex ipsa, et propria Dei Patris substantia. Ac nedum *ex utero*, seu de ipsa, et propria Dei Patris substantia, verum etiam *ante luciferum*, idest ab aeterno, quod et significatur per verbum Ps. 2. *hodie*, hodie enim significat praesens, quo verbo de praesenti Deus exprimit suum Esse aeternum, ac permanens Exodi 3. illis verbis: *Ego sum, qui sum. Qui est, misit me ad vos.* En igitur ex relatis verbis naturalis, et aeterna Christi generatio a Deo Patre; cujus proinde vere, et natura Filius dicendus est.

Nec refert, ut Sociniani regerunt, quod citato loco Actuum, et ep. ad Hebraeos referantur quoque illa Davidis verba ad Christi Resurrectionem, ejusque Sacerdotium: siquidem ad utrumque etiam referuntur, quia et quod a mortuis resurrexerit, et quod sit Pontifex universalis ab hoc habet, quod est vere, et natura Filius Dei, ejusque a Deo generatio ex utero, et ante luciferum, idest de ejus substantia, et ab aeterno, radix est, et fundamentum totius excellentiae, quae in

ipso est. Hinc D. Ambrosius l. 3. de Sacramentis c. 7. *Pulchre Pater dicit ad Filium, Ego hodie genui te; hoc est, quando redemisti populum, quando ad Coeli Regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti, meum te esse Filium.* De quo demum rationem reddens Bossuetius l. cit., recte, ait, ad Christi Resurrectionem illa verba referri; cum enim vere, et natura sit Dei vivi Filius, et ipse vita sit, necesse fuit, ut iterum ederetur, et quodammodo gigneretur; quare ejus resurrectio nihil aliud fuit, quam aeternae ejus generationis progressus.

2.° De Christo etiam sermonem fieri Micheae c. 5., illis verbis: *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel; et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*, dubitare non sinit tum D. Matthaeus c. 2., tum D. Joannes c. 7.. Dicitur autem ejus egressus, idest generatio, hanc namque per egressum non semel designari in Scripturis, patet ex c. 10. Genesis v. 14., et ex c. 1. Job. v. 21., dicitur, inquam, ejus egressus, idest generatio *ab initio, a diebus aeternitatis*: Ab aeterno igitur a Deo Patre genitus, ideoque vere, et natura Filius Dei, cum nequeat aeternitas, nisi uni, ac soli Deo, convenire.

Inquit hic Grotius, de Zorobabele apud Micheam sermonem fieri. At quanti facienda sit Grotii interpretatio, tum ex contextu, qui nonnisi turpiter Zorobabeli adaptaretur, tum ex Evangelistis, qui non de Zorobabele, sed de Christo Micheae oraculum interpretati sunt, nemo est, qui non videat. Alii vero ex Socinianis, verba illa *ab initio, a diebus aeternitatis*, interpretanda esse docent de antiquà Christi a Davide origine. Responsumne tamen, an potius contemptum ridiculae, ac distortae interpretationes ejusmodi merentur?

Sexcentis demum in locis Christum vocari Dei Filium in Scripturis, nemo ignorare potest, qui eas prae manibus habuerit; siquidem ita etiam Matth. 3., ubi Deus Pater de eo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* In quae ita praeclare D. Leo Magnus hom. de Transfigurat. *Hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus.* Ita quoque c. 16., ubi cum D. Petrus alloquens, *Tu es Christus* (inquit), *Filius Dei*

vim, idque, ut subditur, Petro non caro, et sanguis, sed Pater ipse Coelestis revelaverat. Porro dici nequit, quod illi Pater Coelestis revelaverit, Christum esse ejus Filium adoptivum, utpote Messiam tamdiu expectatum, id enim audierat tum a Joanne, tum ab Andrea fratre ejus, ut habetur Jo. 1.; neque etiam esse ejus Filium adoptivum ob suam eximiam sanctitatem, tum quia esse hoc titulo filium Dei adoptivum commune est omnibus justis, ideoque satis ex Christi sanctitate colligi poterat, absque eo quod necessarium fuisset ad id cognoscendum peculiaris Dei revelatio; tum quia notum jam Petro erat, ab omnibus Christum haberi, velut unum ex Prophetis, qui sane erant filii Dei adoptivi: Talibus ergo verbis Christum praedicasse, dicendum est, vere, ac natura Dei Filium, quod tantum Pater Coelestis, non vero caro, et sanguis, revelare illi poterat.

Ita etiam Jo. 1. illis verbis: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et c. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Nisi autem vere, et natura esset Dei Filius, Unigenitus dici non posset; cum plurimi alii, ut supra advertimus, sint per adoptionem filii. Quod confirmans idem D. Joannes ep. 1. c. 5., *Scimus* (inquit), *quod Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus.* Nonne autem idem dictu *verus Filius Dei*, ac *Filius Dei naturalis*?

Concinit quoque Apostolus ad Rom. 8. illis verbis, quod Deus Pater *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Porro per *proprium Filium* intelligendum esse *vere, ac natura Filium*, ipsa verborum significatio ostendit. Nec non ad Heb. 1. illis verbis: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Quem item ab aeterno genitum ab eo esse, ideoque vere, ac natura Filium, verbis immediate sequentibus declarat, dicens, quod est *splendor gloriae* (velut lux nempe est splendor solis, a quo emanat), *et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae* (per omnia nempe illi similis, et omnino aequalis, ac regens, servansque omnia nutu suo, et potentia); quodque tanto sublimior est Angelis, *quanto differentius prae illis nomen haeredi-*

tavit : *Cui enim 'dixit aliquando Angelorum* : *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*? Hinc cum etiam Angeli dicantur filii Dei in Sacris Litteris, ut Ps. 87., et Job I., et II., eo quod et ipsi filii sint adoptione, Christus proinde dicitur non eodem modo Dei Filius, sed singulariter, ideoque vere, et natura. Quare et addit, quod ubi Angeli in ministerium mittuntur, ad Christum vero dicitur: *Thronus tuus*, *Deus*, *in saeculum saeculi*. Et: *Tu in principio*, *Domine*, *Terram fundasti*, *et opera manuum tuarum sunt Coeli*. . . *Et velut amictum mutabis eos*, *et mutabuntur*; *tu autem idem ipse es*. In quae omnia idcirco ita praeclare Ludovicus Habert De Deo Trino c. 4.: *Si creatura his titulis repraesentatur*, *nulla suppetunt determinata verba ad designandum Ens increatum*, *a quo cuncta sunt creata*. *Mutanda est fidei nostrae professio*: Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Coeli, et Terrae, *nam secundum Socinianos verbis concipitur*, *quae puro homini adaptari possunt*.

Adessent etiam alia Scripturarum loca*, in quibus Christus dicitur Dei Filius, et quidem nullibi adoptivus, vel alio simili modo, quo ejus filiatio tantum adoptiva significetur; cum e contrario non semel modo hic, modo illic appelletur *Unigenitus*, *proprius*, *verus*. Porro si hujusmodi non esset, sed adoptivus, id profecto Scripturae non siluissent, nec potuissent silere, ne scilicet Christiani eum colentes, et adorantes, tamquam verum, ac naturalem Dei Filium, idololatriae crimine se obstringerent: Non ergo adoptivus, sed vere, ac natura Dei Filius.

Qua super re praetermittenda demum non est Christi parabola apud Matthaeum c. 21., qua Deum Patrem exhibuit, tamquam Patrem familias, qui cum vineam suam locasset agricolis, ac deinde ad eos misisset servos suos, ut repeterent vineae fructus, impiique agricolae alios ex illis caecidissent, alios occidissent, alios lapidassent, *novissime misit ad eos filium suum*, *dicens*: *Verebuntur filium meum*. Porro in servis Prophetas, in Filio seipsum designasse, cuivis parabolam consideranti fit perspicuum, ac Judaei ipsi agnoverunt, ut Evangelista subdit: Quis proinde non videt, ita a Prophetis, qui procul dubio erant per adoptionem filii, se distinxisse, uti

filius familias a servis distat, ideoque vere, ac natura Dei Filium se declarasse?

Probatur 5.° *ex illis Scripturae locis, in quibus Attributa, quae nonnisi uni vero, ac summo Deo convenire possunt, Christo tribuuntur.*

Et 1.° ejusmodi est aeternitas: quae Christo tribuitur in tot, tantisque citatis supra locis tum propositione antecedenti, tum inter probationes hujus propositionis, ac praecise paullo supra, ubi dicitur ab aeterno genitus. Quibus accedit, quod ipse de se ait Apoc. 1. *Ego sum alpha, et omega, principium, et finis, qui est, qui erat, et qui venturus est.*

Ejusmodi etiam est immensitas: quam et Christus de se praedicavit Jo. 3., ubi inquit: *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo*; si enim dum haec ajebat in Terris degens, erat simul et in Coelo, ratione igitur alterius naturae, quae ipsi inerat, praeter humanam, idest Divinae, immensitatem de se praedicasse, evidens est.

Ejusmodi etiam est Omniscientia: quae et Christo tribuitur Lucae 6. illis verbis: *Ipse vero sciebat cogitationes eorum.* Et Jo. 21., ubi illi dictum legitur: *Domine, tu omnia nosti.* Et ad Coloss. 2., ubi dicitur, quod in eo *sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi.* Et dum ipse de se dicit Apoc. 2. *Scient omnes Ecclesiae, quia ego sum scrutans renes, et corda.*

Ejusmodi etiam est immutabilitas: quae et Christo tribuitur ep. ad Heb. 1., ubi Apostolus ait, ad Christum dici: *Opera manuum tuarum sunt Coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes, ut vestimentum veterascent. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Ejusmodi etiam est Omnipotentia: quam ipse Christus de se praedicavit, dum se paris potestatis cum Patre dixit Jo. 5. illis verbis: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Hinc subdit Evangelista, quod haec Judaei audientes, interficere eum volebant, *quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Quo in loco advertendum item est, quod Christus, quin Judaeos argueret, quasi eum criminati essent, quod aequalem se Deo faciebat, confirmavit potius, quod dixerant,

ex vita, quam non ab alio vel per acceptionem, vel per conservationem, sed in semetipso habere, dixit: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Itemque advertendum cum Petavio Theol. Dogm. lib. 11. cap. 8., num. 14., non scripsisse Evangelistam, quod Judaei quaerebant Jesum interficere, propterea quod ex eorum malevolentia arbitrarentur, se facere aequalem Deo; sed, quia *Patrem suum dicebat Deum, et aequalem se illi faciebat*; ex quo sequitur, non ex malignantium Judaeorum corde profecta haec verba fuisse, iisque tribuenda esse, sed ex propria sententia sic Joannem scripsisse, ejusque verba Spiritui Sancto afflanti esse tribuenda.

Idem caeterum Omnipotentiae attributum de se et praedicat Apoc. 1. illis verbis: *Ego sum primus, et novissimus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Et c. 11. viginti quatuor Seniores ipsi dicentes leguntur: *Gratias agimus tibi, Domine Deus Omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es.* Quibus in locis quaeri a Socinianis potest, num verus, et summus Deus clarioribus verbis designari possit, quam nominibus primi principii, et ultimi finis? Et num creaturae dici possit: *Domine Deus Omnipotens, qui es, et qui eras?*

Idem quoque ipsi tribuitur, quoties dicitur, quod *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Jo.* 1.); quodque *in ipso condita sunt universa in Coelis, et in Terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* (Ad Col. 1.). Ac similiter alibi. Nec non et ubi ait, propria virtute a mortuis resurrecturum Jo. 11. illis verbis: *Solvite Templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*; quod, ut subdit Evangelista, *dicebat de Templo corporis sui*: et ubi dicitur, sua quidem virtute, et ad propriam gloriam tot, tantaque cujusvis generis miracula patrasse; ut Matth. 9., ubi haec leguntur: *Dicit eis Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Et c. 8. *Domine, si vis, potes me mundare.* Et. Jo. 2. *Hoc initium miraculorum fecit Jesus in Cana Galileae, et manifestavit gloriam suam.* Quae vero a contrario vel Apo-

stoli, vel caeteri Sanctitate conspicui miracula patrarunt, haec neque in proprio nomine, neque ad suam gloriam patrarunt.

Quod Omnipotentiae attributum ipsi demum tribuitur, dum illi tribuuntur Redemptionis, sanctificationis, justificationis, et glorificationis opera, utpote quae supra omnium Creaturarum sive Terrestrium, sive Coelestium potestatem, et solius Dei propria sunt, ut Deus ipse per Isaiam c. 43. testatur illis verbis: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Et Ps. 83. *Gratiam, et gloriam dabit Dominus.* Innumera autem sunt, quae ex Novo Testamento hac super re depromi possent; ut ubi Christus dicitur 1. ad Cor. c. 1. *factus nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Et ad Ephes. 1., quod *in eo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus*, etc.

Probatur 6.° ex illis Scripturae locis, in quibus Christus dicitur cultu supremo, ac Deo soli debito, colendus.

Et sane adorationem Deo soli deberi, evidenter liquet ex c. 6. Deut., ubi praecipitur: ***Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*** Nec non ex c. 45. Isaiae, ubi: ***Per memetipsum juravi*** (ait Deus), ***mihi curvabitur omne genu.*** Hinc cum Lystrienses, ut refertur c. 14. Actuum, Paulum, et Barnabam adorare vellent, nedum Apostoli restiterunt, verum etiam, ***viri*** (dixerunt), ***quid haec facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines.*** Et Apoc. c. 19. legitur, quod cum Joannes Angelum, qui sibi in visu apparuerat, vellet adorare, nedum Angelus adorationem sibi delatam repulit, verum etiam indignatus, ***vide*** (inquit), ***ne feceris. Conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora.*** Christum autem et adoratum fuisse, et adorationem ei deberi, passim docent Scripturae; statim namque in Orbem Terrae introductus, Angelis praeceptum fuit, ut eum adorarent, teste Apostolo ad Hebraeos c. 1., ubi: ***Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem Terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*** Adhuc deinde infans, ut legitur Matthaei c. 2., adoratus fuit a Magis, qui *pro-*

videntes adoraverunt eum. Deinde etiam, ut legitur Joannis c. 9., cum visum caeco a nativitate dedisset, *Tu credis* (ait illi) *in Filium Dei? Respondit ille, et dixit: Quis est; Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo, Domine. Et procidens, adoravit eum*. Item parem honorem, seu cultum sibi tribuendum esse, sicut et Patri, ipse Christus docuit Jo. c. 5. aliis verbis: *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Apostolus item ad Rom. c. 14. relata Isaiae verba Christo applicat, ubi, *omnes* (ait) *stabimus ante Tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo Ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu*. Idem repetit ad Philippenses c. 2. illis verbis, quod *in nomine Jesu omne genu flectatur, Coelestium, Terrestrium, et Infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*; idest, ut Duhamelius explicat, *aequali cum Patre*.

Quod demum magis semper, magisque confirmatur ex illis Scripturae locis, in quibus Christus dicitur nostrae et fidei, et spei, et charitatis objectum; ut enim inquit D. Aug. in Enchir. c. 2. *Colitur Deus fide, spe, et charitate*. Porro quod Christus sit nostrae fidei objectum, et quidem eo ipso modo, quo Deus ipse, expresse ipsemet docuit Jo. 14. illis verbis: *Creditis in Deum, et in me credite*. In eo etiam omnem à nobis spem, et fiduciam esse ponendam, docet Apostolus scribens ad Timotheum, suamque incipiens epistolam: *Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostrae*. Cui etiam Regius Psaltes praeiverat, inquiens Ps. 2. de Messia: *Beati omnes, qui sperant in eo*. Quare, cum dicatur per Jeremiam c. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*, Christum proinde purum hominem non esse, consequens est. Demum charitatis nostrae ipsum quoque objectum esse debere, D. Paulus ep. 1. ad Cor. c. 16. illis verbis praedicat: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Cristum, sit anathema*. Quod et Christus significavit Apostolos alloquens illis verbis; *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis* (*Jo.* 16.); ex quibus sequitur, quod neminem Deus Pater diligit, nisi qui Christum diligat: nec non quum ait: *Qui amat Patrem, aut Matrem plus*-

quam me, non est me dignus; et qui amat filium, aut filium super me, non est me dignus (*Matth.* 10.). Nec solum super omnia diligendum esse, verum etiam toto corde, et totis viribus, adeo *ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est*, docet Apostolus 2. ad Cor. c. 5., idemque Christus significavit, quum inquit, quod postea quam redemptionem nostram peregisset *exaltatus a Terra* (in Crucem scilicet propter nos suspensus), *omnia ad seipsum traheret* (*Jo.* 3.). Solum autem Deum esse a nobis diligendum super omnia, ac toto corde, et totis viribus, nemo est, qui nesciat: quem proinde esse Christum, ex hoc quoque majori semper claritate elucet.

Probatur. 7.° ex Traditione Patrum Antenicaenorum.

Silentio praetermittimus Patres, qui post Nicaenum Concilium floruerunt, cum extra controversiam sit, omnes uno ore Christi Divinitatem fassos fuisse juxta fidei Symbolum a Patribus Nicaenis conditum. Dicimus ergo, quod Origenem, et Eusebium Caesariensem, cognomento Pamphilum, si excipias, de quorum fidei rectitudine quoad Christi Divinitatem merito, ac solide dubitatur, caeteri omnes rectam de Christo habuerunt fidem, ac luculenter testatam Scriptis reliquerunt. Id vero necesse est in compertis ponere, ne Theologiae Candidati decipiantur a Socinianis asserentibus, Patres Nicaenos novum condidisse dogma; ut Socinus in sua ad Radecium epistola, ac post eum Auctor Anonymus libri, cui titulus *Irenicum Irenicorum*, itemque Christophorus Sandius in libro, cui titulus *Nucleus historiae Ecclesiasticae*, nec non Juriaeus Pseudo-Minister Rotherodami in 6. Pastorali Epistola mentiri ausi sunt, quosque Bossuetius non minori eloquentia, quam eruditione refellit in 6. ad Protestantes Admonitione.

Praemittendum tamen est, neminem mirari debere, quod aliqui ex PP. Antenicaenis non admodum proprie locuti fuerint; mirum namque nemini esse debet, tum ob vocum *substantiae*, *hypostasis*, *naturae*, *causae*, *principii*, aliarumque id genus significationem non satis explicatam, et determinatam; tum quia, ut scribit D. Aug. l. 1: cont. Jul. c. 6., *securi loqueban-*

tur, *quia nullus aderat hostis*, seu quia cum nondum prodiisset Arii haeresis, catholice intelligi existimabant; tum demum, quia oppositis haeresibus refutandis intenti, disputationis aestu interdum abripiebantur, ut inviti aliquid minus castigatum proferrent, quemadmodum cum Theodoreto advertimus l. 1. tract. 6. p. 310. *Vehemens enim* (ait) *cum Adversariis contentio facit, ut modum excederent. Hoc et in iis, qui arbores colunt, evenire solet; cum enim incurvam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur.* (*Dial.* 3. *Impat.*). Hinc cum plures ex iis refutandae Sabellianae haeresi incumberent, quae unam tantum adstruebat in Deo Personam sub triplici solum appellatione, non raro idcirco aliquid scripserunt, quod earum consubstantialitatem impetere videbatur. Quibus perpensis, eorum mentem, rectamque intelligentiam assequi nos debere ex aliis locis, ubi apertissime rectam de Trinitate, ac de Verbi, seu Christi Divinitate, et consubstantialitate cum Patre fidem profitentur, nemo, qui aequus esse velit, negare poterit, ac omnes interpretandi leges praecipiunt.

Ut autem non paucis, quae hisce de causis leguntur in eorum Scriptis aliquantulum duriora, simul occurramus, reperitur 1.° apud aliquos ex iis, ut alibi etiam advertimus, *quod plures in Deo sunt substantiae*, quia accipiebant substantiam pro persona. Item, quod *una in Deo est hypostasis*, quia accipiebant hypostasim pro substantia. Quod *Filii Natura est Patri propinquissima*, quia Filii Persona, quam intelligebant per *naturam*, est secunda Persona Trinitatis; quo caeterum sensu, idest per personam, vox *physis*, seu Natura, usurpata etiam reperitur post exortam Arii haeresim ab ipsis Catholicis, ut ab Alexandro Alexandriae Episcopo in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum. Quod *Pater est Filii causa*, quia idem apud eos erat causa, quod principium; quo caeterum sensu, idest per principium, vox *causa* usurpata etiam reperitur ab ipsis Patribus Nicaeno Concilio posterioribus, ut a D. Basilio *l.* 1. *contra Eunomium*, a D. Greg. Nazianz. *Orat.* 29., et a D. Joanne Damasceno *l.* 3. *Orthodoxae*

fidei c. 5. . Quod *Pater est prior Filio*; hic vero eo inferior, et in secundo loco habendus, quia in ordine Divinarum Personarum Pater est prima Persona Trinitatis, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus; ideoque prior ratione originis, et ordinis, ordine enim, et relatione Filium praecedit, utpote principium Filii, non vero ratione dignitatis, et naturae Divinae, utpote unum cum Filio. Quod *solus Pater est sine initio*; quatenus nempe per initium intelligitur, non quidem initium naturae, aut temporis, sed initium originis, solus quippe Pater est in Trinitate sine origine, Filius vero est genitus a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre, et Filio procedit. Quod *Pater est major Filio, hic vero serviens ejus voluntati, nec non ejusdem derivatio, et portio, ac administer*; loquendo scilicet de Christo, ut homine, sub quo respectu est Patre minor, ejusque servus. Ejus vero derivatio, et portio, ac administer, quatenus ratione personae est a Patre per generationem, cum quo tamen individuus est natura, et essentia; etiamque administer, non tamen extraneus, et sejunctus a Patre, sed identitate, et necessitate naturae cum eo conjunctus, siquidem *per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (Jo. 1.). Quod *Filius est factus, et creatus*; vel scilicet ratione humanitatis, non vero Divinitatis; vel quod idem sonabant apud Graecos *facere*, et *creare*, quod producere, et gignere: *Nam sapientes* (ajebat hac super re D. Dionysius Alexandrinus in sua Apol. apud D. Athan.) *se suorum Librorum factores appellant, tametsi iidem propriorum Librorum patres sint.* Immo et Deut. c. 32. v. 18., ubi dicitur: *Deum, qui te genuit, dereliquisti*, an non *genuit* sumitur pro *creavit*? Ac apud ipsos Latinos non raro *creare*, *et gignere* promiscue ad idem significandum sumi, observant D. Hieron. *in c.* 4. *ep. ad Eph.*, et D. Aug. *l. de fide*, *et Symbolo.* Quod *Filius est a Patre, tamquam radius a Sole, ac fluvius a fonte*; ad probandam scilicet distinctionem personalem inter Patrem, et Filium, ac simul perfectam naturae aequalitatem, qualis est inter Solem, et radium, fluvium, et fontem. Quod *Christus est Filius Dei voluntarie genitus*, sumendo voluntarium pro eo, quod non est coactum, vel caeco quodam naturae impetu productum, ut

lumen a Sole, calor ob igne, non vero pro eo, quod est liberum, et indifferens, ut ajebat Arius in epistola ad Eusebium Nicomediensem, et Alexandrum Episcopum Alexandriae; ex necessaria enim sui ipsius comprehensione Pater generat Filium, et simul nec per vim, nec velut caeco quodam naturae impetu.

Demum non desunt inter Veteres, qui duplicem Verbi Dei generationem distinguunt. Primam, qua Deus Pater genuit Verbum, intelligendo seipsum; eaque est aeterna. Alteram, quae potius externa Verbi prolatio fuit, qua Verbo virtutis suae Mundum condidit; eaque fuit in tempore. Hanc vero Verbi prolationem in molitione creaturarum analogice ajebant generationem, quatenus per illam declaratum, et manifestatum exterius fuit Dei Verbum, quod antea latebat, et ignorabatur; quodque per eam non excluserint sempiternam ipsius Verbi generationem, ex aliis eorum testimoniis mox afferendis manifestum fiet.

Neque hic etiam omittendum, reprobari a caeteris Theologis latum de PP. Antenicaenis judicium a Petavio, et Huetio; quod parum recte de Trinitate senserint, ac locuti fuerint. Ita nempe primus *l.* 1. *de Trin. c.* 5. *n.* 7., *et c.* 8. *n.* 2. Alter vero *Origenianorum l.* 2. *c.* 2. *qu.* 2. *n.* 10.. Caeterum Petavius temperavit deinde in Praefat. Tomi 2., quod prius scripserat, dicens, quod *praeter manifeste haereticos, alii ex iis communem, rectamque fidem, et substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil ab regula deflectunt: alii in omnibus re consentientes, loquendi dumtaxat modo dissident ab usitata praescriptione, quae non solum recte sentire, red rectis etiam verbis explicare, quid sentias, jubet.* Et sane, cum Patres sint Traditionis Testes, et hanc semper cohaerentem cum Scripturis fuisse, fateri necesse sit, quippe quod tam Scripturae, quam Traditiones aeque sunt verbum Dei: quomodonam Patres Antenicaeni oppositam fidem tenere poterant? Eadem tamen fides ab ipsis servata fuerat, quemadmodum et D. Athanasius I. De Decretis Synodi Nicaenae, et D. Gregorius Nyssenus or. 3. contra Eunomium Arianis exprobrabat; nec non prae caeteris Bossuetius loco supra citato, et Bullus Presbyter Anglicanus in libro, cui titulus: *Defensio fi-*

dei Nicaenae (qui caeterum caute legendus est ob errores suae Ecclesiae, quos identidem interserit) fuse, et erudite demonstrant; quod et nos modo, servata Institutionum ratione, aggredimur. Et 1.° sit

D. CLEMENS.

Ita igitur hic D. Petri discipulus, ejusque post Linum, et Cletum in Supremo Pontificatu Successor in 1. epist. ad Corinthios, quae ab omnibus habetur, tamquam genuinum hujus Pontificis opus, ubi loquens de Christo, *Sceptrum* (inquit) *Majestatis Dei Dominus noster Iesus Christus, non venit in jactantia arrogantiae, neque superbiae, cum potens sit, sed in humilitate, quemadmodum Spiritus Sanctus de ipso locutus est; ait quippe: Domine, quis credidit auditui nostro?* Et paullò infra sermonem quoque de Christo habens, *qui cum sit* (ait) *splendor Majestatis ejus, tanto major est Angelis, quanto excellentius nomen sortitus est. Ita quippe scriptum est: Qui facit Angelos suos Spiritus, et Ministros suos flammam ignis. De Filio autem suo sic dixit Dominus: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

D. IGNATIUS M.

Fuit hic Antiochenae Ecclesiae tertius post Petrum Apostolus Episcopus: sunt vero ejus genuinus foetus epistolae ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnaeos, et ad Polycarpum: quas licet rejecerint Salmasius, Dallaeus, et Blondellus, aegre ferentes in iis Episcoporum regimen in Ecclesia constitui; tuentur tamen, praeter veteres Scriptores, ex Heterodoxis Usserius, Vossius, Cave, Clericus, Pearsonius, Bullus; ex nostris vero Natalis Alexander, Annatus, aliique communiter. Ita autem ep. ad Ephesios: *Unus Medicus est, carnalis, et spiritualis; factus, et non factus, genitus, et ingenitus, in carne Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo, Jesus Christus Dominus noster.* Et ad Magnesianos: *Non enim aliquid coaeternum Patri, quod non est naturaliter ex ipso, ne etiam istud creaturis inesse dicamus, quod inest Di-*

vinae soli naturae. Quamobrem etsi Filius principium habet Patrem suum, tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens existentiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo Consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne et Pater ipse talis reperiatur. Et ibidem: *Deus unus est, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ipsius, qui est ipsius Verbum aeternum non a silentio progrediens.* Et ibidem: *Studete, ut confirmemini in dogmatibus Domini, et Apostolorum, ut omnia, quae facitis, prospere vobis succedant, fide, et charitate, in Filio, et Patre, et Spiritu Sancto. . Subjecti estote Episcopo, et vobis mutuo, ut Iesus Christus Patri, secundum carnem, etc.* . Et ad Smyrnaeos: *Glorifico Iesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit.* Et ad Polycarpum: *Eum, qui ultra tempus est, expecta, intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impassibilem, nostra causa passibilem, qui omnibus modis propter nos sustinuit.*

Objicit Christophorus Sandius loco cit. l. 1., quod Ignatius Patrem comparat Episcopo, Filium autem Presbytero; quo exemplo utebantur Ariani, ut constat ex Dial. 1. Athanasii, seu potius Theodoreti, de Trinitate Orthodoxa.

Respondet Laur. Berti De Theol. Discipl. l. 8. c. 1., exemplum in hoc sensu verum esse, quod Filius habet Divinitatis substantiam a Patre, quomodo Presbyter ab Episcopo Sacerdotii recipit characterem. Neque mirum est, Haereticos abuti Sanctorum exemplis, dum etiam Divinarum Scripturarum sensa detorquent.

D. POLYCARPUS M.

Fuit hic D. Joannis Evangelistae auditor, laudati D. Ignatii discipulus, et Smyrnensis Episcopus. Porro nedum in epistola ad Philippenses, quae ab omnibus agnoscitur, tamquam genuinus ejus foetus, laudans D. Ignatii epistolas, earumque assiduam lectionem commendans, hoc ipso profitetur ejus fidem quoad Christi Divinitatem; verum etiam paullo ante mortem ita inducitur Deum Patrem rogans apud Euseb. l. 4. hist. c. 15. *Pater Unigeniti, et benedicti Filii tui Iesu Christi . . , de omnibus te*

laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum Unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc, et in saecula saeculorum. Porro nec Unigenitus esset, nec sempiternus, nisi esset vere, et natura Filius, et Patri ab aeterno coexistens, ideoque et Deus. Cumque solemne fuerit apud Patres, Deum nonnisi unum esse posse, hinc unius quoque cum Patre substantiae, seu illi consubstantialis. Idem quoque sequitur ex eo, quod Patri, et Filio aequalem gloriam defert.

Objicitur, quod in laudata epistola ad Philippenses Patrem antonomastice *Deum* appellat, Filium vero *sempiternum Sacerdotem.*

Resp. tamen quod et apud eum, et alios etiam ex veteribus Pater dicitur *Deus* titulo quodam speciali, utpote fons, et origo Divinitatis, ac principium sine principio; Filius vero *Sacerdos* ratione humanitatis assumptae, ac simul *sempiternus* propter Divinam Naturam.

D. IUSTINUS M.

Hic Romam ex Oriente venit circa annum 150.; cunctisque consentientibus, sunt ejus foetus genuinus duplex pro Christianis Apologia, nec non Dialogus cum Tryphone Judaeo: caetera enim, quae sub ejus nomine circumferuntur, tamquam supposita, communiter censentur a Criticis. Ita autem Apol. 1. de Verbo Divino: *Porro Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas et existens, et nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, et ornavit.* Ita vero Apol. 2. de Christo loquitur: *Iesus Christus unus, et solus proprie Filius Deo genitus est, qui nimirum ratio, et Verbum ejus, et primogenitus, et virtus est.* Et paullo infra: *Qui quod Verbum, et primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* In Dialogo vero cum Tryphone totus est, ut variis Sacrarum Litterarum testimoniis ostendat, *Christum non esse hominem ex hominibus communi mortalium more genitum.* Quibus allatis, Judaeos urget, inquiens: *Si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis, ipsum esse Deum, singularis, et ingeniti, ineffabilisque Dei Filium.* Ubi etiam de aeterna Verbi generatione agens, *primitus* (scribit) *ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem*

quamdam rationalem, quae quidem et gloria Domini a Spiritu Sancto vocatur, nonnumquam autem Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus, et Verbum. Quod et illustrans similitudine ex creatis petita, pergit: *Quomodo in igne videmus alium fieri, non decrescente illo, unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente, quippe qui ex ipso incenditur, et ipse apparet, non imminuens illum, unde est succensus.*

Objicitur, quod in Dial. cum Tryphone, numquam, ait., Patrem veteribus Patriarchis apparuisse, sed Filium, quia cum Pater sit immensus, seu ubique praesens, nec descendere, nec de loco in locum moveri poterat. Id autem nonne idem dictu est, quodque Filius non sit unus cum Patre Deus? Item constare ex Scripturis, Christum esse Messiam a Deo promissum, tametsi non constaret, eum esse Deum Conditorem omnium; ex quo sequitur, saltem Christi Divinitatem non credidisse de fide, qualis est Messiae adventus.

Respondetur tamen quoad 1.m, passim reperiri apud veteres Patres, quod cum Filius ex Personis Divinis assumpturus esset in temporis plenitudine naturam humanam, atque in ea redempturus, et docturus esset homines, ipse etiam ex Personis Divinis fuit, qui in veteri lege induit identidem visibilem formam, in qua se redderet adspectabilem. Cujus sententiae cum esset quoque Iustinus, ut patet ex eodem Dial. cum Tryph., inquiens proinde ob praefatam rationem, quod non Pater, sed Filius veteribus Patriarchis apparuerat, non id ajebat sensu, quod Filius invisibilem, et incircumscriptam Naturam non habeat, qualis est in Patre, cum saepe ibidem dicat, eum, qui veteribus Patriarchis apparuit, fuisse Israelis Deum; sed sensu, quod cum Pater numquam visibilem, et circumscriptam formam assumpserit, neque etiam ei conveniebat apparere, nec poterat in propria Natura descendere, ac de loco in locum moveri.

Quoad alterum vero, id dixisse Justinum ex falsa Thryphonis hypothesi, utque illum ex demonstrato Messiae adventu velut manuduceret ad agnoscendam deinde in Christi Persona ejus Divinitatem. Quam tamen Justinum utique agnovisse, patet ex supra relatis testimoniis, nec non ex eo, quod subdit, neutiquam eum assentiri illius aetatis haereticis, qui cum se Christianos profiterentur,

quos proinde dicit *ex genere nostro*, Christum tamen merum fuisse hominem, asserebant: *Sunt enim nonnulli ex genere nostro, confitentes, ipsum esse Christum, sed hominem in hominibus genitum esse affirmant; quibus ego minime assentior.* Hi autem erant Ebionitae.

ATHENAGORAS.

Hic Philosophus Atheniensis, ac D. Justino coaevus, egregiam quoque circa annum 166. pro Christianis Apologiam obtulit Imperatoribus Marco Aurelio, et Filio ejus Commodo, ut triplicem refelleret calumniam, qua Christi fideles impetebantur, Atheismi, coenae Thyestaeae, et Oedipodei, idest de abdicato Deorum cultu, de carnis humanae esu, et de promiscuo incestus concubitu. In ea autem, quam nemo umquam suppositam censuit, *quis* (inquit) *non miretur, nos, qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, ita ut et unionis eorum vim, et ordinis distinctionem exponamus, impios, et sine Deo homines vocari?* Et paullo infra: *Deum asserimus, et Filium ipsius Verbum, et Spiritum Sanctum, tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, actu vero, et essentia unum. Filius enim Patris mens, Verbum, et Sapientia est, et ab eodem Spiritus, ut lumen ab igne, profluit.* Peculiariter vero de Verbi generatione sic loquitur; *Mens, et Verbum Dei Filius Dei est. Primigenia hic est Patris progenies, quae non ut facta, a principio enim Deus, qui est mens aeterna, ipse in seipso logon, hoc est Verbum, et rationem habet, cum rationalis ipse aeternum sit, sed ut rerum cunctarum idea, et perfectio foret, progressa est.*

Objicitur, quod in laudata Apologia docet, quidquid genitum est, aliquando incoepisse, et aliquando dissolvendum esse; ex quo sequitur, Verbum, quod genitum asserit, initium juxta ipsum habuisse, ideoque non esse aeternum.

Respondetur tamen, quod, ut supra diximus, apud Graecos promiscue interdum sumebatur *genitus*, *creatus*, *et factus*; quare et de Mundo ibidem scribit Athenagoras, genitum esse, idest *factum*. Porro quae facta, et creata sunt, et aliquando coepisse, et aliquando dissolvi,

debere, oportet. Cum vero, Verbum Divinum factum, et creatum non esse, sed ab aeterno genitum, asserat, hinc de Verbo idem non sensisse, consequens est.

D. THEOPHILUS ANTIOCHENUS.

Hic Antiochenam rexit Ecclesiam sub Marco Aurelio, floruitque idcirco eadem aetate, qua Athenagoras; ac ei tribuuntur quidam libri Allegoriarum in Evangelia, aliique ad Autolycum. Ita autem l. 5. Alleg. *Sciendum est, quod Christus Dominus noster ita verus homo, et verus est Deus, de Patre Deo Deus, de Matre homine homo.* Ita vero l. 2. ad Autol. *Non erant Prophetae, cum Mundus crearetur, sed Sapientia Dei, quae in ipso est, sermoque ejus sanctus ipsi semper praesto erat.* Quod et probat ex Proverbiis, et ex c. 1. Jo. *In principio erat Verbum, etc.* Et paullo prius: *Deus habens suum sermonem in suis visceribus, genuit eum, cum eum produceret cum sua sapientia ante haec universa.*

D. IRENAEUS M.

Fuit hic D. Polycarpi discipulus, Asianus genere, et post Photinum Episcopus, ac initio 3. saeculi Martyr pro Christo occubuit: ejusque genuinos foetus esse quinque adversus haereses libros, nemo est, qui neget. Ita autem l. 1. c. 10. *Ecclesia per universum Orbem usque ad fines terrae seminata est ab Apostolis, et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem Omnipotentem . . . Et in Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur . . . Et in Spiritum Sanctum.* Et c. 11. *Per haec itaque manifestum fecit, quoniam is, qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit, se esse Deum Patrem, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est super omnia Deos, et super quem alius non est Deus? . . . Qui igitur a Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi . . . Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui et locutus est Moysi, etc.* Et l. 2. c. 25. *Non enim, o homo, semper coexistebas Deo,*

sicut proprium ejus Verbum. Et c. 31. *Semper est coexistens Filius Patri, olim, et ab initio semper revelat Patrem*. Et l. 3. c. 6. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive, et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium Deum Patrem, et Filium ejus, qui dominium accepit a Patre suo omnis conditionis, quemadmodum habet illud; Dixit Dominus Domino meo.... Cum autem eos, qui non sunt Dii, nominat, non in totum, quemadmodum praedixi, Scriptura ostendit illos Deos, sed cum aliquo additamento, et significatione, per quam ostenduntur non esse Dii, quemadmodum apud David Dii gentium, idola daemoniorum*. Et c. 21. ita rursum de Christo: *Est autem ipse proprie Deus, et Dominus*. Et l. 4. c. 14. *Ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus est*. Quibus positis, quam effrons dicenda sit Socinianorum inverecundia Irenaeum de Arianismo malignantiam, satis explicari nequit.

Objicitur, quod l. 2. c. 27. ait, Christum judicii diem ignorasse. Et l. 3. c. 8., Patrem Verbo suo praecepisse, ut Mundum conderet. Ambo autem fidei; de qua nos loquimur, adversantur.

Respondetur tamen ad 1.m, dixisse, quod Christus judicii diem ignoraverit hoc sensu, quod aliis illum noluerit manifestare; ut enim scripsimus l. 2. tract. 11. c. 1. resp. ad 6., Deus juxta stylum Scripturae dicitur cognoscere, aut nescire, quod aliis declarat, vel non declarat. 2.°, quod illum ignoraverit, ut homo, non quod ejus humanitas arcanum aliquod ignorasset, cum in eo fuerint, ut ait Apostolus, *omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi*, sed quia plenitudo ejus sapientiae, et scientiae non erat in eo ex nativa vi humanitatis, qua Filius minor est Patre, sed ex Divinitatis Natura, quae in Patre, et Filio una est.

Ad alterum vero respondetur, quod cum Gnostici, contra quos agit S. Doctor, blasphemarent, Mundum hunc adspectabilem ab inferioribus Angelis conditum fuisse, ipse eos refellens, non ab his, ait, sed a Deo fuisse conditum per suum Verbum, quod generatione sua Patris *Vox* est, et *praeceptum*; nihil enim Pater sine intelligentia, et sapientia operatur, ac Verbum est ipsius

intelligentia, et sapientia subsistens, et personalis. In Mundi idcirco molitione, quia, ut ait Apostolus ad Rom., *vocans* Deus quodammodo *ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt*, omnia e nihilo vocavit, utque Regius Psaltes scripserat, *dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt*, id D. Irenaeus contra Gnosticos expressit, inquiens l. c. *Quoniam ipse praecepit, et* (idest *etiam*, ideo) *creata sunt. . . Cui ergo praecepit? Verbo scilicet*; Verbum enim est ejus et virtus, et potentia, et sapientia, unde etiam Apostolus 1. ad Cor. c. 1., *praedicamus* (inquit) *Christum Dei virtutem, et Dei Sapientiam.*

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Fuit hic Irenaeo coaevus, Origenis Magister, et Scholae Alexandrinae Praefectus, ejus vero tamquam genuinus foetus, procul dubio habentur Adhortatio ad Gentes, tres libri Paedagogi, et septem libri Stromatum, nam quoad octavum Stromatum lis est inter Eruditos. Ita autem scribit de Verbo in Adhort. ad Gentes: *Quod revera est Deus manifestissimus, fons vivificus, qui per universam Terrae faciem diffunditur, per quem effecta sunt omnia, etc. . . Hic ergo Verbum Christus, et ut nos olim essemus, erat enim in Deo, et ut bene essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus, hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus, et homo.* Hinc Gentes alloquens, pergit: *Crede, homo, homini, et Deo. Crede, homo, ei qui passus est, et ei, qui adoratur, Deo viventi. Credite, servi, mortuo; credite, omnes homines, ei, qui solus Deus est omnium hominum.* Ita vero l. 1. Paedag. c. 6. *Unus est Universorum Pater: Unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus Sanctus unus; et ipse est ubique.* Et c. 8. diserte ostendit, omnia Patris attributa ipsi cum Filio esse communia. Addit quodque l. 3. c. 12. *Laudemus unum Patrem, et Filium: Filium, inquam, paedagogum, et magistrum, una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum. . . cui gloria nunc, et in saecula saeculorum. Amen.*

TERTULLIANUS.

Coaevus hic quoque fuit Irenaeo, et Clementi Alexandrino, litterarum enim splendore claruit circa finem saecundi saeculi, et tertii initium; Afer genere, Patria Carthaginensis, vir acerrimi ingenii, ac Religionis zelo quondam conspicuus; a qua utinam deinde non recessisset Montanistarum sectam amplexus! Fidem tamen Trinitatis rectam habuit, servavitque semper; genuina enim ejus opera, omnibus consentientibus, sunt tam liber contra Praxeam, quam liber Apologeticus; nec eam 1.° rectius profiteri poterat l. cont. Prax. c. 2. ubi hanc esse, docet, fidei regulam, *ut unum Deum agnoscat, qui sit Pater Filius, et Spiritus Sanctus . . . . Unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie. Unius autem substantiae, et unius status, et unius potestatis, quia unus Deus*; intelligens nempe, ut supra monuimus, per gradus ordinem originis, quo Filius est a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque; per formas vero, et species eae, quae a Scholasticis vocantur relationes, seu personalitates Divinae, de quibus infra. Et c. 15. *Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sunt; non unus. Quomodo dictum est, Ego, et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.*

Nec minori tam perspicuitate, quam verborum proprietate, ratione saltem habita illorum temporum, rectam circa Filium fidem profitetur c. 6., et sequentibus: *Nihil dico de Deo inane, et vacuum prodire potuisse, nec carere substantia quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit. . . . Quaecumque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen Filii vindico, et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo . . . Prolatum dicimus a Patre Filium, non separatum; protulit enim Deus Filium, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et Sol radium . . . . nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium, quia omnis origo parens est, et omne, quod ex origine profertur, progenies est.* Similiter loquitur Apolog. c. 21., ubi sermonem quoque

habens de aeterna Filii Dei generatione, *hunc* (ait) *ex Deo prolatum dicimus, et prolatione generatum; et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiae, nam et Deus Spiritus . . . , Ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum . . . ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unum ambo.*

Objicitur, quod ait l. contra Hermogenem c. 3. , huic enim contendenti, quod materia esset aeterna, quia secus non fuisset Deus ab aeterno Dominus: utpote in nullam rem dominium exercens, respondet Tertullianus, utique Deum non fuisse ab aeterno Dominum, sicut nec Judex, nec Pater ab aeterno fuit, his verbis: *Quia et Pater Deus est, et Judex Deus est, non tamen ideo Pater, et Judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum et delictum, et filius non fuit, quod Judicem, et qui Patrem Dominum faceret.* Quid clarius, quam quod Filius Dei juxta Tertullianum non fuit semper Patri coexistens, idest aeternus? Item c. 18. probat contra Hermogenem, materiam non esse inconditam, quia ipsamet Dei *Sophia*, idest Verbum, incondita non est, cum solus Deus plane ingenitus sit.

Respondetur tamen, cujusvis Scriptoris mentem ex ejus scopo praesertim assequendam esse. Scopus autem Tertulliani in libro, e quo objecta verba sunt excerpta, non erat jam de aeterna Verbi generatione, de qua controversia ipsi non erat cum Hermogene, sermonem facere, sed de materiae aeternitate, quam contendebat Hermogenes aeternam, quia secus non fuisset Deus ab aeterno Dominus, utpote nihil habens ab aeterno subditum. Quis proinde non videt, quod respondens Tertullianus, utique Deum nullius rei extra se fuisse ab aeterno Dominum, sicut nec Judex, nec Pater, ab aeterno fuerat, aeque intelligendus est nullius rei extra se? Hermogenem nempe perstringens, quod sicut absurdum dictu non erat juxta ipsum, quod Deus non fuerat ab aeterno nec Judex, nec Pater ullius rei extra se, ita absurdum dictu censendum non erat, quod neque etiam ullius rei extra se Dominus fuisset.

Ad alterum vero respondetur, durius quidem esse, sed cum alibi rectam de Trinitate fidem expresserit, dum ait proinde, quod Dei *Sophia* non sit incondita, intelli-

gi debet per inconditum negationem habens sive creationis, sive originis, et generationis; arguebatque contra Hermogenem, qui admittendo materiam omni modo inconditam, illam Dei *Sophiae* anteponebat, quae saltem condita est, ut ipse loquebatur, via generationis. Dum vero ait, quod Deus solus est plane ingenitus, intelligit per Deum vel solum Patrem, vel Divinam ipsam essentiam; et Pater namque, et Divina Essentia nec generatur, nec producitur.

D. GREGORIUS NEOCAESARIENSIS.

Idem 3. saeculum hic illustravit tum vitae sanctitate, tum miraculorum splendore, dictus propterea Thaumaturgus; ac sic de Christo legitur locutus in professione fidei apud D. Gregorium Nyssenum: *Unus solus ex solo, Deus ex Deo, Verbum efficax, potentia universa universae creaturae effector, Filius verus veri Patris, sempiternus sempiterni, unusque Spiritus Sanctus. . . . Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate; neque superinductitium aliquid, aut adventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non ergo defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis, et invariabilis eadem semper manet Trinitas.*

D. DIONYSIUS ALEXANDRINUS.

Eodem quoque saeculo hic floruit; ac sedem Alexandrinam tenens, accusatus apud Dionysium Rom. Pontificem, quod dum Sabellii haeresim insectaretur, divisionem Naturae in Personis Divinis adstrueret, exquitissimam suae fidei Apologiam ad Rom. Pontificem misit, qua suos confudit Adversarios, eorumque calumnias diluit. Fuerant hae, quod negasset, Filium Dei esse aeternum. Quod illum dixisset opus quoddam factitium, a Deo peregrinum, ac Patrem respectu ipsius, velut agricolam ad vitem, ac navis fabricatorem ad navem. Quod demum aliquando Patrem sine Filio nominasset. Eas vero diluit, declarans, quod haec dixerat de Christo, ut homine, seu de Natura humana a Verbo assumpta, ut contra Sabellianos Divinarum Personarum distinctionem ex Incarnationis Mysterio ostenderet. Caeterum credere, et profiteri, quod Filius, *cum sit splendor lucis aeternae*, *et ipse*

omnino aeternus est. Luce enim semper existente, manifestum est et splendorem semper existere. Licet vero crederet, Filium ejusdem esse Naturae, et substantiae cum Patre, illum tamen non appellaverat Patri consubstantialem, quia nullibi in Sacris Litteris taliter appellatum legerat: *Quibus* (inquiens) *criminationem eorum depuli, mendacemque ostendi, qua ajebant, me Christum negare esse Deo consubstantialem. Tametsi enim fateor, me hoc vocabulum nusquam in Scripturis Sacris vel invenisse, vel legisse, attamen argumenta mea ab ea sententia nihil discrepant.* Quod et docens in epistola contra Paulum Samosatenum, *Unus* (inquit) *est Christus, qui est in Patre, coaeternum Verbum.* Et in responsione ad 10, quaestionem, quae epistolae subjiciuntur: *Scripsi* (ait), *et scribo, et confiteor, ac credo, et praedico coaeternum Patri Christum Unigenitum, et Verbum Patris.* De cujus quoque consubstantialitate cum Patre testimonium reddens in eadem epistola, *Illum,* (inquit), *qui erat natura Dominus, et Verbum Patris, quem Sancti Patres consubstantialem Patri vocaverunt, etc.*

Praetermittendum autem silentio non est, quod ex hoc Dionysii facto luculenter patet fides primae illius aetatis Ecclesiae quoad Christi Divinitatem, et consubstantialitatem cum Patre, non enim secus haereseos accusatio ipsi praefata de causa intentata fuisset apud Rom. Pontificem: ex Dionysii verbis vero, in prima quoque illa aetate Christum a Sanctis Patribus dictum, ac praedicatum fuisse Deo Patri consubstantialem. Contendit quidem Sandius, suppositam esse Dionysii Apologiam, cum ex Chronico Eusebii diem jam extremum obierat Dionysius Alexandrinus, cum Dionysius Romanus Episcopus renuntiatus fuit. Sed falli Eusebium, demonstrant Eruditi, nam Xisto, qui Dionysio in Romana Sede praecesserat, undecim Pontificatus annos tribuit, cum tamen constet ex Libro de Pontificibus Romanis, solum annis duobus, et mensibus undecim Romanam Sedem tenuisse.

D. METHODIUS M.

Fuit hic Syri Episcopus, ac Martyr occubuit sub Diocletiano; praeclarumque reliquit de Christo testimonium in l. De Simeone, et Anna his verbis: *Venit . . .*

lumen sempiternum, lumen Deo, ac Patri consubstantiale . . . lumen illuminans Coelestia, et Terrestria, Christus verus Deus noster. Deinde vero Christum alloquens, pergit: *Tu lumen verum ex vero lumine, Deus verus ex Deo vero: . . a te ipso, non per gratiam Deus. . . quoniam tua est gloria, et potestas, et magnificentia, ac majestas cum Patre, et Spiritu Sancto in saecula saeculorum.*

D. ATHANASIUS.

Caeteris, ne longiores simus, praetermissis, Patrum Antenicaenorum agmen claudat clarissimum illud Ecclesiae lumen, ac decus, ac strenuus Orthodoxae fidei defensor D. Athanasius, qui nullis Arianorum minis, ac insidiis territus, nullis fractus aerumnis, nullis parcens laboribus, totus fuit usque ad vitae exitum, quin umquam animo deficeret, ut voce, scriptis, cunctisque mediis, quae inexplebilis tuendae fidei zelus suggerere illi poterat, incolumem in omnium cordibus eam servaret, et Arianorum fraudibus occurreret. Hic Magnus Athanasius, ut omnes norunt quotquot vel summis labiis Ecclesiasticam historiam degustaverint. Veritus nihilominus non est Socinianus Wolzogenius scribere, quod adeo strenuus Orthodoxae fidei vindex, ac jubar eamdem professus non fuerit fidem circa Trinitatem, quam Romana Ecclesia, ejusque Doctores profitentur; sed Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum unum esse docuerit sola voluntatis concordia; idque, ait, patere ex Dialogo 1. De Trinitate. Ita ergo Wolzogenius tom. 2. p. 307. Ad cujus calumniam diluendam satis quidem esset solum Athanasii nomen: sed ut non nihil dicamus, mentitur 1.º, quod in praecitato Dialogo post voluntatis, et concordiae unitatem non praedicetur quoque unitas, et identitas substantiae, nec ulla alia distinctio in Deo adesse dicatur praeter eam; quae ex opposita relatione oritur. Petenti enim paullo post Anomaeo: *Nulla est igitur differentia Patris, et Filii, et Spiritus Sancti?* Respondet Orthodoxus: *Nulla sane neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere, et gigni, emittere, et procedere, sive emitti, inter se differunt.* 2.º, ut demonstrant Garnerius, Dupinius, aliique, illorum Dialogorum Au-

ctor alius fuit, quam Athanasius; idque, ut scribit Dupinius, *inter doctos omnes convenit* (*Tom.* 2. *Bibl. p.* 73.), agit enim singillatim adversus haereses Athanasio posteriores. 3.° nihil clarius, et expressius in omnibus D. Athanasii scriptis, quam consubstantialitas Divinarum Personarum, pro qua sic pugnavit, ut, quidquid credendum de Trinitate est juxta fidem Catholicam, non aliter ipsa Catholica Ecclesia profiteatur, ac profiteri mandet, quam Athanasianum Symbolum recitando; sive enim genuinus ejus foetus sit, sive tantum sub ejus nomine circumferatur, argumento id est, quod ex Ecclesiae ipsius judicio, Athanasii fides, praesertim circa Trinitatem, luce meridiana praeclaruit, eademque fuit, ac fides Ecclesiae Catholicae.

Diximus *sive genuinus ejus foetus sit*, *sive tantum sub ejus nomine circumferatur*, lis enim circa id est inter Eruditos, aliis illud D. Athanasio tribuentibus, ut sunt Baronius *ad ann.* 340., Fagnanus *in C. Firmiter*, Reinfestuel *l.* 1. *Decret. tit.* 1. *n.* 77., Bellarminus *De Scriptoribus Eccles.* §. *De S. Athan.*, etc.; aliis longe pluribus illud D. Athanasio abjudicantibus, adeo ut Gravesonius *tom.* 1. *Hist. Eccles. colloq.* 4. scripserit: *Sed nunc convenit inter omnes Viros Eruditos, hoc Symbolum, S. Athanasii nomine inscriptum, non esse genuinum illius foetum*; quibus nos subscribimus: 1.° quia in eo reperiuntur dogmata, in Conciliis Constantinopolitano I., Ephesino, et Chalcedonensi contra Macedonium, Nestorium, et Eutychetem definita, iisdem phrasibus expressa, quas Ecclesia nonnisi post eorum haereses consecravit. 2.° quia profecto Oecumenica illa Concilia tum ob magnum Athanasii in tota Ecclesia nomen, tum ob expressionem luculentissimam dogmatum Catholicorum, quibus haereses confodiendae opponebantur, illius Symboli sententias in Actis Synodi protulissent; quod tamen non fecisse, ex eorumdem Actis constat. 3.° quia nonnisi haereticorum erat Athanasii tempore novas semper fidei formulas condere, Catholicorum vero soli Nicaenae inhaerere, ac nonnisi Nicaenum Symbolum heterodoxis objicere. Quare idem D. Athanasius in epistola ad Antiochenos, non alias, scripsit, proferendas fidei formulas, praeter Nicaenam, quomodo et Synodus Sardicensis decreverat; et Joviano postulanti ejus fidei confessionem,

non aliam illi , nisi Nicaenam detulit , ut testatur Theodoretus *hist. Eccles. l.* 4. *c.* 3. , et Nicephorus *l.* 10. *c.* 42. . 4.° quia nemo veterum Scriptorum ante annum millesimum ejus meminit ; dum tamen congrediendo cum haereticis summopere appositum fuisset haeresibus omnibus tum circa Trinitatem , tum circa Incarnationem refellendis auctoritate tam Magni Doctoris , quae peculiari modo in Ecclesia eminebat. 4.° quia ejus Auctorem fuisse latinum , ex eo certum videtur , quod Latina omnia exemplaria consentiunt , graeca variant. Id vero indicat , quod de latino in graecum , non de graeco in latinum fuerit translatum ; cum tamen si illius Auctor esset Athanasius , fuisset graeco idiomate conscriptum. Quibus perpensis , sin certum , longe saltem probabilius videtur, sub Athanasii quidem nomine circumferri , sed Athanasii non esse. Cumque Vigilius Tapsensis in Africa Episcopus , et acerrimus sub finem V. saeculi fidei Catholicae Defensor , multa opera scripserit , et non suo , sed antiquorum Patrum , et praesertim sub nomine D. Athanasii evulgaverit , ipsi etiam communius ab Eruditis adscribitur ; aliis illud tribuentibus Eusebio Vercellensi , aliisque Vincentio Lyrinensi , ac nonnullis Anastasio Sinaitae.

Probatur 8.° *ex definitione Ecclesiae.*

Ad propositum modo , e quo discessimus , redeamus. Cum igitur Verbi , seu Christi Divinitas tot , tantisque momentis e Scriptura , et e Traditione petitis , demonstretur , merito , optimoque jure Sacrosancta Synodus Nicaena , universam Ecclesiam repraesentans , definiit in fidei Symbolo , quod trecenti decem , et octo Patres sub D. Silvestro Summo Pontifice congregati subsignarunt , *credere se in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei , ex Patre natum Unigenitum, idest ex substantia Patris , Deum ex Deo , lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero ; natum , non factum , consubstantialem Patri , per quem omnia facta sunt.*

Iudicium de fide Origenis.

Quia autem dum Patrum Traditionem hac super re afferre suscepimus, in suspicionem saltem vocavimus tam Origenis, quam Eusebii Caesariensis fidem, rationem modo de hoc reddere, operae pretium est. Et quoad 1.m, habet quidem suae fidei defensores, ex veteribus nempe Alexandrum Jerosolymitanum, D. Firmilianum Caesariensem, nec non, quos habuerat discipulos, D. Dionysium Alexandrinum, et D. Gregorium Thaumaturgum; ac deinde etiam D. Athanasium, Basilium, ac utrumque Gregorium Nazianzenum, et Nyssenum; nec non subinde ex Theologis longe plurimos. Certum quoque videtur, Commentaria in Job, ubi l. 1. fides in Trinitatem dicitur haeresis, et infidelitas, quam Diabolus Sancto illi viro designans, *tria cornua fecit in typum, atque figuram trionymae illius sectae*; certum, inquam, videtur, impia illa Commentaria per calumniam Origeni adjudicari; etenim, ut advertit Genebrardus de Orig. vita, *opus illud Luciani Martyris celebrat agonem, et Homousii nomen, et Homousianorum sententiam commemorat. . . ac tam Lucianum Martyrem post Origenem fuisse, tam Homousii, et Homousianorum nomen longe post Origenis tempora enatum, constat.* Ita sane. At 1.° contra Origenis fidem militat D. Epiphanius, qui de eo ad Joannem Jerosolymitanum scribens, *Arii patrem* (ait) *Origenem, et aliarum haereseon, radicem, ac parentem laudare non debemus.* Item D. Augustinus, qui in l. de Haeresib. c. 43. scribit de eo, quod Filium, et Spiritum Sanctum asseruerat creaturas; nec non, *quod Filius Dei Sanctis hominibus comparatus veritas sit; Patri collatus mendacium, et quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri.* Item D. Hieronymus, qui volvendis Origenis operibus adeo incubuit, ut Ecclesia approbet libros Origenis, quos ipse approbat; rejiciat, quos ipse rejicit, ac de Nicaenis Patribus in epist. ad Avitum loquens, *Origenem* (ait) *fontem Arii percusserunt.* Ac demum Demetrius Episcopus Alexandrinus, qui eum, dum adhuc viveret, damnavit, et in ejus damnationem consensit quoque Urbs Roma: damnatumque etiam ab aliis Praesulibus; et ab Heracla expulsum, testatur Theophilus, imo integra Synodus

Alexandrina. Nemo item nescit, quod V. Generalis Synodus et ejus Scripta rejecit, et decies in eum anathema pronunciavit ob licentiam, qua Sacras Litteras praepostere interpretatus fuerat. Quibus omnibus cum accedat, quod Rufinus ejus maximus Defensor scribit in praefatione ad Origenis libros, quorum titulus *Periarchon*, plura scilicet absurda prorsus, et impia se ab illis resecuisse; cumque Rufini exemplum in adulterandis Origenis libris alii etiam ejus asseclae secuti fuerint; ut proinde scribat Huetius *Origeniarum quaest. pag.* 233., corruptos esse libros quotquot ex Origenianis ad nos fortuna transmisit: praefatis omnibus perpensis, nemo non videt, quam fidem mereantur quicumque afferuntur, ac afferri possunt textus ad eum purgandum ab haereseos nota, cum potius monumenta assuta, quam genuini textus judicandi sint. Ita etiam de Origene Petavius *l.* 1. *de Trinit. c.* 4., Huetius *in Origenianis l.* 2., Norisius *in Dissert. de V. Syn. c.* 2., Natalis Alex. *Dissert.* 16. § 2. *saec. III.*, aliique.

Iudicium de fide Eusebii Caesariensis.

Quoad alterum vero, nempe Eusebium Caesariensem, habet quoque ipse, uti suos accusatores, ex quibus praecipue sunt Baronius, Petavius, Natalis Alexander, Tournelius, ita etiam suos defensores, licet multo pauciores numero, nec cum prioribus comparandos, ut sunt Molinaeus, Zanchius, Caveus, Valesius, etc. At 1.° excusari prorsus nequit, quod ait l. 1. contra Marcellum c. 1., idque maxime post Nicaenam Synodum; Christum scilicet Deum illum summum non esse, qui unicus est, sed diversum, quia cum Mediator sit Deum inter, et homines, sui ipsius Mediator esse nequit: *Ideo Christus medius necessario inter duos, ab utroque diversus, quorum statuitur Mediator. Non est ergo existimandum, hunc esse Deum illum, qui est super omnia Deus.* Et l. 1. de Eccl. Theol. c. 11., idque etiam post Nicaenam Synodum: *Ne duos Deos pronuntiasse videamur, sciant oportet, quod utcumque licet Filium profiteamur Deum* (advertatur illud *utcumque*), *unus tamen nostra sententia Deus est; ille nimirum, qui solus principio caret, qui ingenitus, qui propriam a se possidet Divinitatem, qui ipsi insuper Filio exi-*

stendi causam, et taliter existendi dedit. . . ille solus, qui, ut suum peculium quoddam, Deitatem imprincipiatam, et ingeneratam cum Monarchica potestate suprema possidens, Filium participem fecit suae vitae, et Divinitatis. Item in ep. ad Euphrasionem: *Non enim Filium Patri coexistere diximus, sed Patrem ante Filium fuisse. . . Quoniam Filius, et ipse quidem Deus, sed non verus Deus.* Itemque in sua ad Caesarienses ep. post Synodum, recepisse se, ait, voces *ex substantia Patris*, *consubstantialem Patri*, sed quatenus significant, Filium ex Patre esse, sed non Patris portionem. Nec non dixisse eum *genitum*, *non factum*, quoniam *factum adjectivum est caeterarum creaturarum, quae per Filium factae sunt.* Scripserat vero ante Conc. Nicaenum l. 7. Praep. Evang. c. 12., Verbum esse *naturam alteram* a Patre. Et c. 15., Verbum secundam esse a Patre naturam, sicut Spiritum Sanctum tertium a Patre, et Filio, eosque a se invicem dignitate, ac gradu differre, quemadmodum stella a stella differt in claritate.

Quis autem haec, ac praesertim simul congesta, ac maxime etiam post Nicaenam Synodum, quae fidem tum circa Divinitatem Verbi, tum circa Trinitatem meridiana luce clarius proposuerat, perpendens, eum sanae fidei fuisse, judicare poterit? Sed plura;

2.° enim iis, quae scripsit, accedit ejus agendi ratio; negari siquidem nequit, Ario impense favisse, eique amicitia fuisse conjunctum; quodque si Nicaenae fidei tandem subscripsit, id non egit, nisi post piissimi Imperatoris Constantini minas, cumque prius ei subscribere defrectasset. Arianam item factionem semper coluisse, in compertis est; nam et praefuit Pseudo-Synodis Tyrio, et Antiocheno, Arianorum opera coactis adversus D. Athanasium, et adversus Magnum Eustathium Antiochenum Antistitem; et numquam D. Athanasium strenuum Nicaenae fidei vindicem sivit quiescere; et demum dum in libris contra Marcellum eum arguit, quod Ecclesiae Patres, et verae fidei Doctores, numerans inter hos Paulinum Tyriensem, Narcissum Nerodiadem, Eusebium Nicomediensem, et Asterium Sophistam, qui publici, ac declarati erant Ariani, impetere ausisset, neque etiam meminit in sua Ecclesiastica Historia Arianae haereseos, quae caeterum

Ecclesiam adeo turbaverat, ac innumeris malis, et scandalis afflixerat. Quae omnia undenam repeti possunt, nisi ex animo Ariano, et ex favore, quo Arianos prosequebatur?

3.° Accedit Patrum testimonium; testatur enim D. Athanasius *in lib. de Decr. Nic. Syn.*, eum post Synodum ad vomitum rediisse. Eum quoque D. Hieronymus tum l. 1. Apol. c. 2., quam ep. 65. ad Pammachium appellat haereticum hominem, apertissimum Arianae impietatis propugnatorem, et Arianorum signiferum. Arianorum fautoribus eum quoque accenset D. Epiphanius haer. 68.. Ac demum Arianismum ejus Scripta olere, advertunt Theodoretus l. 1. Hist., Photius cod. 19., aliique.

4.° Accedit auctoritas VII Synodi Oecumenicae, a qua traductus fuit act. 5., tamquam homo *traditus in reprobum sensum, et ejusdem cum Ario opinionis.* Et act. 6. dictum fuit, quod *labiis veritatem honoravit, animus vero longe ab ea aberat, ut ostendunt Scripta ejus, et epistolae omnes, et mansit, ut Aethiops, minime mutata cute sua.* Subditque Synodus, quod si aliquando veritatem simulavit; *ob id secundum Jacobum fratrem Domini, homo duplicis animi, inconstans in omnibus viis suis dicetur.* Inter Sanctos vero connumeratum fuisse, error aliquorum est, cui locum dedit affinitas nominis cum Eusebio Samosateno, qui utpote strenuus Nicaenae fidei confessor, cum plura ab Arianis pertulisset, tandem in odium fidei tegula obrutus ab Ariana muliere, Martyr occubuit: praefatis enim omnibus rite perpensis, nemo non videt, quam recte scripserit Baronius ad ann. 340., quod quisquis Eusebii Caesariensis rectam de Trinitate fidem tueri contendit, *Aethiopem dealbare nititur.*

De Liberio, Osio, et Patribus Ariminensibus.

Diximus quoque, dum Verbi, seu Christi Divinitatem Patrum Traditione ostendere suscepimus, quod omnes, qui post Nicaenum Concilium floruerunt, *uno ore eam fassi fuere juxta fidei Symbolum a PP. Nicaenis conditum*; non enim obstat, quod ex adverso objicitur de Liberio Summo Pontifice, de Osio Episcopo Cordubensi, et de Patribus Ariminensibus: 1.° enim non libere, sed minis, exilio, aerumnis Arianae haeresi inclinasse, om-

nes norunt ; utque recte disserit D. Athanasius, *quae per tormenta contra priorem sententiam extorta sunt, eae jam non metuentium, sed cogentium voluntates habendae sunt.*

2.° Quoad Liberium, non absque solida probabilitate etiam negatur, ut ostendimus l. 1. tract. 5. cap. 5. resp. ad 6., quod umquam faverit Arianae haeresi, subscribendo ulli ex Syrmiensibus formulis, quas haeretici condiderant.

Quoad Osium vero, negari nequit, quod hic Conciliorum Parens, ita dictus, quod Rom. Pontificis nomine Conciliis tam Nicaeno, quam Sardicensi praefuerat, quique ob fidei causam fuerat quoque in exilium actus, ab hoc Syrmium Arianorum opera vocatus ab Imperatore Constantio, ut volens, vel coactus Arianae haeresi subscriberet, ac sui nominis claritate testimonium redderet; centum ferme annorum aetate, ac septingentarum leucarum itinere fractus, nec non, teste Theodoreto l. 4. hist. Eccl. c. 6., *verbera, ut fama est, perpessus:* Arianae tandem impietati cessit, ac secundae formulae Syrmiensi, totum haereseos virus continenti, consensit, et subscripsit. In fide tamen, ac pace Ecclesiae quievit: ut enim scribit D. Athanasius ep. ad Monach., *instante morte, vim sibi illatam, quasi testamento, declaravit, Arianamque haeresim feriit anathemate, vetuitque, ne quis illam reciperet.*

Quoad Patres demum Ariminenses, fuerunt hi numero circiter quadringenti: ex quibus ferme trecenti erant Catholici, ut scribit D. Athan. ep. ad African., et octoginta factionis Arianae, ut refert Severus Sulpitius l. 2. hist., ac jussu Imperatoris Constantii Arimini convenere anno 359., dum ejusdem Imperatoris jussu Praesules Orientales convenerant Seleuciae, qui simul cum Ariminensibus erant fere sexcenti, ac, velut unum, ambo considerantur. Strenue quidem, ut apud omnes convenit, Nicaenam fidem prius propugnarunt, Valente, Ursacio, eorumque sociis Nicaenae fidei obsistentibus anathemate, ac depositionis sententia perculsis. At cum deinde Valens, et Ursacius apud Constantium egissent, ut Arimini detinerentur, nec ulla spes inde remeandi in proprias Ecclesias affulgeret, nisi vocem *omousion* supprimerent, tamquam novam, ut ajebant, et pacis inimicam: taedio demum, aerumnis, ac minis victi, et simul Valentis, et

Ursacii fraudibus decepti, qui cum caeteris eorum factionis se Catholicos protestabantur, et solius pacis, et concordiae gratia suppressam petebant vocem *omousion*; pronuntiatis quoque a Valente suo, ac suorum nomine pluribus Anathematismis, quibus Arianam haeresim damnare videbantur, eos nempe anathematizando, qui dicerent, *Christum non esse Deum, ante saecula ex Patre genitum*, vel quod *erat tempus, quando non erat*; vel quod esset *de non extantibus*: his de causis, utque addit D. Athan, l. cit, ne, ipsis in exilium missis, Episcopi Ariani in suas Ecclesias intruderentur, ac populum Christianum perverterent, vocem *omousion*, adeo ab Arianis odio habitam, suppresserunt.

Fidem tamen Nicaenam non prodidisse, sed ipsam tantum professos non fuisse, quomodo Nicaena Synodus jusserat, supprimendo vocem *omousion*, quam Synodus consecraverat, ut Arianorum fraudes evitarentur, sensum simul retinendo per illam significatum, ostendit 1.°, quod licet expressis verbis non faterentur Filium Patri consubstantialem, ejus tamen veram Divinitatem perspicue profitebantur, ita enim fidei formula, quam subsignarunt, concepta erat: *Credimus in Unigenitum Dei Filium, qui ante omnia saecula, et ante omne principium natus est ex Deo: natum autem Unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem Genitori suo Patri secundum Scripturas; cujus nativitatem nullus novit, nisi qui solus eum genuit, Pater.* Ut autem disserit D. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos: Dicebaturne in hac fidei formula, ut Ariani ajebant, quod fuit tempus, quando Filius Dei non fuit? Vel, quod factus esset de non extantibus? Vel, quod esset creatura? *Perfecta fides est* (pergit S. Doctor) *Deum de Deo credere. Cumque natum dicerent Unigenitum solum ex Patre, quid est natum? Certe non factum. Nativitas suspicionem auferebat creaturae.* Ac 2.° etiam, quod cum Arianae factionis Episcopi triumphum post ejusmodi factum coepissent canere; ac evulgare, quod tandem proscripta essent nomina substantiae, et consubstantialis, utpote nomina ignota Ecclesiae Dei, et indigna Deo, immo et sacrilega, uedum, ut testatur D. Hieron. l. cit., *subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum blasphemias condemnare*, declararunt, verum etiam *concurrebant flentes, contestates Corpus Domini, et quidquid in*

Ecclesia sanctum est, *se nihil mali in sua fide esse suspicatos. Putavimus*, *ajebant*, *sensum congruere cum verbis*, *nec in Ecclesia Dei*, *ubi pura confessio est*, *aliud in corde clausum esse*, *aliud labiis proferri*, *timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.* Ut enim Valens deciperet, subdole illum inter alios anathematismum pronuntiaverat: *Si quis dixerit creaturam Filium Dei*, *ut sunt caeterae creaturae*, *anathema sit*; intelligendo scilicet, utique creaturam esse, ac tantum caeteris nobiliorem. Quia tamen hic sensus excludebatur per alios anterius prolatos anathematismos, quibus idem Valens anathematizaverat eos, qui negarent, Christum esse Deum, et Dei Filium ante saecula ex Patre genitum, in laqueum Patres Ariminenses inciderunt, ac in sensu catholico locutum fuisse, bona fide existimarunt.

His autem propositis, patet, Patres Ariminenses recte quidem se non gessisse, non tamen prodidisse Nicaenam fidem, sed tantum, ut diximus, eam professos non fuisse, quomodo Nicaena Synodus sapienter jusserat, allatisque de causis putantes, ut subdit idem D. Hieron., quod curandum non erat *de vocabulo*, *cum sensus esset in tuto.* Nec demum praetermittendum est, Liberium, qui tunc erat Summus Pontifex, nedum non approbasse Patrum Ariminensium Acta, verum etiam ea rescidisse, et condemnasse.

Superest modo, ut quae adversus Verbi, seu Christi Divinitatem, a Socinianis praesertim, objiciuntur, diluamus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Christus Jo. 17. Patrem alloquens: *Haec est autem vita aeterna*, *ut cognoscant te solum Deum verum*, *et quem misisti Jesum Christum*; si enim Pater dicitur solus verus Deus, Christus profecto dicendus non est verus Deus, ea enim est vis particulae exclusivae *solus*, ut a communione praedicati omnes alios excludat, praeter eum, cui apponitur. Pater autem in relato textu dicitur solus verus Deus: Non ergo Christus verus Deus. Accedit, quod nomen Patris tam Naturam, quam Personam exprimit. Quod cum ita sit, Patrem Christus alloquens, et inquiens, *ut cognoscant te solum Deum verum*, negavit, quamcumque aliam Personam es-

se Deum, praeter Personam Patris: Solus ergo Pater tam Natura, quam Persona Deus; excludens scilicet quamcumque aliam Personam, de qua praedicari possit, quod sit Deus. Accedit etiam, quod si vi illius vocis *solum Deum verum* quisque prorsus non excluditur a vera, et summa Deitate, refutari non posset, qui diceret, Petrum, Paulum, Ioannem esse veros Deos, persona quidem a Patre aeterno discrepantes, sed ejusdem cum illo naturae. Absurdum consequens: Et ergo antecedens. Robur quoque argumento addit ratio circumstantiarum; dum haec enim ajebat Christus, et ejus discipulis loquebatur, et supplex Patrem, ut solum verum Deum, orabat. Cum autem Discipuli nonnisi ejus humanitatem cernerent, quomodonam audientes eum rogare Patrem, ut solum verum Deum, agnoscere in illo poterant identitatem nihilominus naturae cum eo, quem rogabat, vocabatque solum verum Deum? Quod demum confirmatur ex eo quod Christus distinguitur ibidem a Deo illis verbis: *Ut cognoscant te Deum, et Jesum Christum*: Non ergo Christus verus Deus. Ita ex Socinianis Crellius.

R. Et quoad 1.m dist. maj., et min.; quod nempe si Pater diceretur solus verus Deus absolute, Christus dicendus non esset verus Deus; non vero cum dicatur solus verus Deus relative ad Gentium idola. Hoc autem posteriori modo dicitur solus verus Deus in allato textu, scilicet non absolute, sed relative ad Gentium idola; ejusque sensus est, quod Pater est solus verus Deus, quales Gentium Dii non sunt. Favet autem 1.º fons graecus, in quo vox exclusiva *solus* non refertur ad verbum *te*, sed ad verbum *verum Deum*, ita enim in Graeco textu habetur: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, etc.* Ac 2., infrequens non est in Scripturis, quod vox *solum* non sumatur absolute, sed relative tantum. Sic dum Lucae 9., post narratam Christi transfigurationem, dicitur, factam fuisse vocem de nube: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, et continenter subditur: *Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus*, vox *solus* certe non sumitur *absolute*, simul enim cum Christo erant adhuc Petrus, Jacobus, et Joannes, sed *relative* tantum, idest ad Moysen, et ad Eliam, qui evanuerant. Sic etiam Lucae 16. dum Martha inquit: *Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare*, solam se dixit, non

absolute, cum secum haberet servos, et ancillas, sed *relative* ad sororem, quae illam reliquerat. Sic etiam Jo. 16. dum Christus ait discipulis: *Me solum reliquistis*, vocem *solum* neque etiam accepit *absolute*, cum immediate addiderit: *Et non sum solus, quia Pater mecum est*, sed *relative*, idest respectu discipulorum. Quo sensu etiam in allato textu dicitur Pater solus verus Deus, non quidem absolute, ita ut Filium, et Spiritum Sanctum excludat, sed relative ad Gentium idola, quorum falsitatem demonstraturus, cultumque aboliturus venerat.

Ad quod etiam responderi potest neg. cons.; potest namque et Pater solus verus Deus appellari, non per exclusionem Filii, et Spiritus Sancti, sed quia est fons, et origo totius Divinitatis, principium sine principio, et a quo procedit Filius, qui simul cum Patre est principium, a quo procedit Spiritus Sanctus.

Ad id vero, quod 2.° loco dictum est, similiter quoque respondetur negando min. sequ.; cum enim, ut diximus, vox *solus* non semper *absolute*, sed *relative* tantum non raro in Scripturis accipiatur; et aliunde noscamus, Filium quoque, et Spiritum Sanctum esse Personas Divinas, ac unum cum Patre Deum; cogimur profecto dicere, quod eo loci non accipiatur *absolute*, ita ut Personas quoque Filii, et Spiritus Sancti excludat, sed *relative* tantum ad falsa Gentium Numina, ita ut sensus sit, quod nonnisi unus est natura, et essentia Deus: quemadmodum etiam fons graecus innuit legens, ut diximus: *Ut cognoscant te illum solum verum Deum.*

Nec minus inanis tertia argutatio est; esto enim, quod ex textu, de quo agitur, refutari non posset, qui Deitatem huic, vel illi, praeter Filium, et Spiritum Sanctum tribueret, utique tamen evidenter refutaretur aliis momentis, nedum ex Scripturis, sed ex ipso quoque rationis penu desumptis; unum namque esse Deum, nec, nisi unum, esse posse, tum revelatio, tum ipsa ratio demonstrat; atque hunc unum Deum esse simul cum Patre Filium quoque, et Spiritum Sanctum, ex Sacris Litteris patet; alium vero esse, praeter Patrem Filium, et Spiritum Sanctum, impiissime simul, ac insanissime diceretur.

Aeque etiam futilis quarta argutatio est, tametsi enim discipuli Christi tantum humanitatem cernerent,

eumque audirent Patrem vocare solum verum Deum, audierant quoque ab ipsius Christi ore, quod unum esset cum Patre, aliaque id genus, quibus aequalem se Patri dixerat, ex quibus proinde, verum, ac summum Deum cum eo esse, didicerant. Immo ex eo etiam, quod Patrem alloquens tunc ait, idem discebant; et nempe ex eo, quod Deum Patrem suum appellabat Patrem, cum quo Filius ejusdem naturae esse debet; et ex eo quod in eadem oratione dixit: *Tua omnia mea sunt. Tu in me, et Ego in Te, etc.*; et ex eo, quod vitam aeternam appellabat non minus Patris, quam sui cognitionem, nequit enim esse, nisi Deus tantum, hominis vita aeterna, idest beatitudo.

Christus demum in allato textu a Deo distinguitur, tum quia Christus est Deus simul, et homo; tum ut intelligamus, satis non esse ad salutem fidem in Deum, sed ad assequendam vitam aeternam credendum nobis esse et in Deum, et in Filium ejus Jesum Christum ab eo missum, ut salvos nos faceret.

Objic. 2.° illud Ap. 1. ad Cor. c. 8. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur Dii sive in Coelo, sive in Terra, siquidem sunt Dii multi, et Domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*; si enim Pater est unus verus Deus, Christus profecto verus Deus dicendus non est. Explicans autem Apostolus, quis sit unus ille Deus, et inquiens simpliciter, esse Patrem, hunc quoque demonstrat esse unum illum Deum, non Filium, nec Spiritum Sanctum; explicaturus enim, quis esset unus ille Deus, non fecisset mentionem solius Patris, omissis aliis Personis, si praeter Patrem, unus ille Deus Filius quoque esset, et Spiritus Sanctus: Solus ergo Pater verus, ac summus Deus dicendus est. Ita quoque impiissimus Crellius.

R. dist. pariter maj., et min.; quod nempe Pater dicitur unus verus Deus *relative* ad Gentium idola, non vero *absolute*, ita ut Filium, et Spiritum Sanctum excludat; idque patet tum ex verbis immediate antecedentibus, ubi agnoscendum, ait, unum Deum, spretis Gentium idolis; tum ex eo, quod si absolute intelligenda essent Apostoli verba, quibus Pater dicitur unus verus Deus, absolute etiam intelligenda essent verba im-

mediate subsequentia, quibus Christus dicitur unus verus Dominus, ideoque excludendus esset Pater a Domini attributo. Sicut proinde Ap. relative intelligendus est in verbis immediate subsequentibus, ita etiam relative in verbis immediate antecedentibus intelligendus est.

Qua super re advertatur quoque, infrequens non esse apud Sacros Scriptores, quod nomine unius Personae Divinae aliae etiam intelligantur ob circuminsessionem Divinarum Personarum alibi propositam tum explicite, tum ratione unitatis substantiae. Sic D. Petrus interrogatus a Principibus Sacerdotum, ut refertur Act. 4., *in qua virtute, et in quo nomine* fecisset claudum ambulare apud portam Templi, quae dicebatur *speciosa*, id fecisse, respondit, *in nomine Jesu Christi*; quibus excludebatne Patrem, et Spiritum Sanctum? Sic etiam dum Act. 8., et 10. dicitur, quod Apostoli baptizabant *in nomine Domini Jesu*, dicendumne est, transgressos fuisse Christi praeceptum Matth. ult., quod baptizarent *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti?* Sic etiam dum Act. 16. dicitur Paulus, et Silas respondisse ad carceris custodem, qui petierat: *Quid me oportet facere, ut salvus fiam? Crede in Dominum Iesum*, excludebantne fidem in Patrem quoque, et Spiritum Sanctum, in quorum nomine erat carceris custos baptizandus? Ob praefatam demum Divinarum Personarum circuminsessionem in aliis quoque Scripturae locis modo Scriptores Sacri tres Divinas Personas distincte exprimunt, ut Matth. 18. v. 19., et 2. ad Cor. 13. v. 13., ac modo etiam duas tantum, ut loco cit., et alibi; ac modo unam tantum, eamque vel Patrem, ut 2. ad Cor. 11. v. 31., vel Filium, ut Gal. 6. v. 18., vel Spiritum Sanctum, ut Act. 15. v. 4. et ad Heb. 3. v. 7.

Objic. 3.° illud ipsius Christi Jo. 14. *Pater major me est.* Quid clarius, ajebant olim Ariani, ac modo Sociniani inquiunt, quam quod Christus, ipsomet teste, non est unus cum Patre Deus? Eoque magis confirmatur deductum ex his verbis argumentum, animadvertendo, quod nequaquam fert loquendi usus, ut absolute negetur de aliquo, quod ei tantum secundum aliquam partem non convenit; ut ex. gr., hominem esse corporeum, quia id illi non convenit respectu animae; vel esse spiritualem, quia id illi non convenit respectu cor-

poris ; ex quo sequitur , quod si Christus secundum aliquam naturam , quam haberet praeter humanam , esset Deo Patri aequalis , non potuisset absolute pronuntiare: *Pater major me est.* Absolute autem ita inquit : Nullatenus ergo Patri aequalis; nec proinde Deus. Qua super re accedit item quod inquit Io. 20. Apostolos alloquens: *Sicut misit me Pater , et ego mitto vos.* Quemadmodum ergo Apostoli minores sunt Christo, quia ab ipso missi , ita inquiens Christus , missum se fuisse a Patre, minorem se esse Patre , testatus est. Ita etiam Crellius:

R. neg. min. ; ratione enim dumtaxat naturae humanae assumptae minorem Patre se dixisse, patet tum ex eo quod habetur apud eumdem Jo. c. 5. , quod *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* : nec non ex aliis ipsius Christi verbis supra inter probationes allatis : *Qui videt me , videt et Patrem* (Jo. 9.) : *Ego et Pater unum sumus* (Jo. 10.) , aliisque id genus ; tum etiam ex ejus scopo , et instituto , consolandi scilicet discipulos tristitia plenos ob ejus e Terris discessum isto potissimum motivo , quod cum rediret ad Patrem , ut in ipsius gloriam reciperetur , gaudendum potius ab ipsis erat , quam lugendum : *Si diligeretis me* (inquiens) *gauderetis utique , quia vado ad Patrem, quia Pater major me est* : ex quo sequitur , quod sicut ratione humanitatis rediturus erat ad Patrem , non vero ratione Divinae Naturae , sub quo respectu numquam aberat a Patre, sed in ejus sinu semper fuerat, eratque; ita ratione etiam humanitatis , et sub hoc respectu minorem Patre se ait. Quare D. Ambrosius , ut haec , aliaque id genus , quae in Scripturis dicuntur de Christo secundum humanam naturam , diluantur : *Pia mens* (inquit l. 5. de fide c. 8.) *quae leguntur secundum carnem , divinitatemque distinguit ; sacrilega confundit , et ad divinitatis detorquet injuriam quidquid secundum humilitatem carnis est dictum.* Praeiverat D. Chrysost. hom. 26. in 1. ad Cor. : *Cum humile aliquid dicitur de Christo, qui carne praeditus est, non ad Divinitatis objectionem trahendum est , quod dicitur ; sed Incarnationi convenit.*

Ad id vero , quod additum est , respondetur negando etiam min. ; quod nempe Christus , licet Patri aequalis secundum Naturam Divinam , non potuerit absolute pronuntiare ratione Naturae humanae assumptae: *Pater major me est:* quodque cum dixerit, *Pater major me est* ,

aequivalenter dixerit: *Non sum Patri aequalis.* Differt enim ista prop. *Non sum Patri aequalis*, ab hac: *Pater, major me est*, cum prima sit negans, de cujus ratione est, ut praedicatum sub quovis respectu abjudicet subjecto; ut quum dicitur: *Spiritus non est corporeus : lapis non est rationalis*, significatur, quod sub nullo respectu spiritus est corporeus, sub nullo respectu lapis est rationalis : altera vero affirmans, de cujus ratione non est, ut praedicatum ex toto, et sub omni respectu subjecto adjudicet, ut quum dicitur : *Petrus est albus : Petrus est rationalis*, significatur, quod est albus quoad corpus, estque rationalis quoad animam. Propositio autem, quam ait Christus : *Pater major me est*, nemo non videt, quod sit propositio affirmans : Non est igitur de ejus ratione, quod haec majoritas Patris sub omni respectu ei adjudicetur : cumque alibi se dixerit Patri aequalem, ac unum cum Patre, intelligendum utrumque est, quod est Patri aequalis, ac unum cum Patre quoad naturam Divinam, minor Patre quoad naturam humanam ; quia nempe, dum propositio est affirmans, necesse non est, ut ejus veritas constet, quod sit vera sub quovis respectu, et ex toto, sed satis est, ut sit vera sub aliquo respectu, et secundum aliquam sui partem.

Verbis vero, quae addita sunt ex c. 20. Jo., resp. 1.° Christum significasse, Divinam Discipulis remittendi peccata potestatem communicare, quam ipse per aeternam a Patre processionem acceperat, non enim missio in Divinis, ut suo loco declarabimus, inaequalitatem inter Personas Divinas, sed unius ab alia processionem significat : et animos iisdem ad tolerandas futuras passiones suo exemplo voluisse addere, quasi diceret, ut D. Greg. M. hom. 26. in Evangelia interpretatur : *Ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.* 2.° non semper particulam *sicut* esse aequalitatis notam.; ut manifeste patet ex illis ipsius Christi verbis Lucae 6. *Estote perfecti, sicut et Pater vester Coelestis perfectus est.* Et Matth. 5. *Estote misericordes, sicut et Pater vester Coelestis misericors est*; quibus non aequalitas perfectionis, et misericordiae, sed imitatio praecipitur.

Objic. 4.° et quod Christus ait, Judicii diem se ignorare, ut legitur Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Coelo, neque Filius, nisi Pater.* Et quod reprehendit, qui illum ajebat bonum, ut legitur apud eumdem c. 10. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et quod ait, nihil facere *a se posse, nisi quod viderit Patrem facientem*, ut Jo. 5.; nec non quod ejus doctrina ipsius non erat, sed Patris, illis verbis apud eumdem 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*; quodque a seipso non venerat, ut ibidem legitur: *A me ipso* (inquiens) *non veni.* Item quod Patris mandata, et praecepta adimpleturus venerat: (*Sicut mandatum* (inquiens) *dedit mihi Pater, sic facio* (Jo. 14.). Et c. 5. *Ego Patris mei praecepta servavi.* Quem etiam appellans Deum suum Jo. 20., *ascendo* (inquit post suam Resurrectionem) *ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* Item quod sui ipsius gloriam non quaerebat: *Ego* (inquiens) *non quaero gloriam meam* (Io. 8.). Quibus verbis respondet quoque illud Apostoli, quod *Christus semetipsum non clarificavit* (Ad Heb. 5.). Ac demum quod non habebat plenam in res omnes potestatem: *Sedere autem* (inquiens filiis Zebedaei) *ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (Matth. 20.). Haec autem omnia locum non haberent, si verus esset Deus: Talis non igitur.

R. neg. cons.; respondetur enim quoad 1.m, dixisse Christum, Judicii diem se ignorare, quia manifestare illum nolebat; ac citato Marci loco sumi ignorantiam pro defectu manifestationis; ut e contrario Geneseos c. 22. cognitio pro manifestatione sumitur, ubi Deus nempe ait ad Abraham: *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, idest manifestavi, certum namque est, quod ante illud etiam experimentum optime perspecta illi erat Abrahami Religio. Ita etiam quando Christus dicet Virginibus fatuis: *Nescio vos*; et non facientibus voluntatem Patris: *Numquam novi vos*; quid significabit, nisi se ita eos tractaturum, ac si nesciret? Et dicens proinde, se nescire diem Judicii, hoc sensu id ait, quod, ac si nesciret, eum omnes latere, decreverat, quin alicui illum revelaret. Immo nedum in

Scripturis, verum etiam apud omnes quoque dicere in usu est, nescire, quod revelare vel nefas est, vel non expedit: quemadmodum exemplo esse potest Judex inquiens, se nescire rei crimen, ut et Confessarius poenitentium peccata, absque eo quod uterque mentiatur, quamvis, ut singularis persona noverit, quae dicit ignorare: *Dicit nescire* (ita proinde D. Aug. l. 1. de Trin. c. 12.), *quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret*. Nec dicatur, quod si hoc sensu locutus fuisset, Patrem quoque dicere debuisset, illum ignorare. Respondetur enim, quod cum Pater numquam per se locutus fuerit, sed olim per Prophetas, ac novissime per Filium, neque etiam per se illum unquam occultaverat, vel occultabat. Caeterum, quod, absolute loquendo, Christus Judicii diem non ignoraverit, manifeste liquet 1.° ex eo quod et horam, et locum, et omnes illius diei circumstantias aperuit Matth. 24., et Luc. 17., et 21., quare ait D. Ambrosius l. 5. de fide c. 16. *Quomodo nescivit Iudicii diem, qui horam Iudicii, et locum, et signa expressit, et causas?* 2.° ex eo quod passim Judicii dies vocatur in Scripturis dies Domini; ac manifeste repugnat, quod Christus, qui passim quoque dicitur Dominus, diem sibi tam proprium ignoraverit. 3.° ex eo quod cum ipse venturus sit Judex vivorum, et mortuorum, debita ei erat illius diei cognitio. 4.° ex eo quod absolute, et sine exceptione de eo dicitur Jo. 21., *omnia nosse*; et ad Coloss. 2., quod *in eo sunt omnes thesauri Sapientiae, et scientiae absconditi*.

Quoad 2.m, id Christum dixisse ex sententia adolescentis, ad quem loquebatur, quique eum, tamquam merum hominem, censebat. Quasi diceret: *Me Deum non putas, et tamen bonum appellas, cum nonnisi Deus sit per essentiam bonus?* Ita D. Aug. l. 3. cont. Maximinum c. 23., et D. Ambr. l. 2. de fide c. 1. Nec raro Scripturae dum aliquid negant, id non negant simpliciter; sed secundum hypothesim, et cogitationem eorum, ad quos sermo dirigitur. Sic dum Joannes Baptista, ut legitur c. 1. Jo., negavit, se esse Prophetam, et Eliam, in eo sensu id negavit, quo illud intelligebant Judaei, nam revera erat Propheta, etiamque spiritu, et virtute Elias. Cujus generis exempla alia etiam suppeterent. Qua super re

consulantur etiam quae diximus, ubi de fide D. Irenaei circa Christi divinitatem egimus.

Quoad 3.m, aliud Christum non significasse, nisi quod cum una sit Patris, et Filii essentia, una etiam est utriusque potestas, ac una, eademque operatio: *Quid superest* (ita proinde D. Ambrosius l. 4. de fide c. 3.), *nisi ut per unitatem inseparabilem potestatis, nihil credamus Filium facere, nisi quod viderit Patrem facientem? Quia per inseparabilem unitatem nihil a se facit Filius, quoniam nihil vult, quod Pater nolit; quod utique non infirmitatis est, sed unitatis.* Cumque etiam quidquid habet Filius, totum a Patre habeat per aeternam generationem, hinc etiam, atque hoc sensu dixit, quod eius doctrina, non ipsius erat, sed Patris. Quo etiam sensu, quia scilicet procedit a Patre, dicitur quoque ab eo mitti: quae tamen missio dependentiam, vel inferioritatem ullam non arguit, sed tantum significat originem, seu processionem ipsius a Patre.

Quoad 4.m, omnia intelligenda esse de Christo, ut homine; sub quo respectu et subditus Deo Patri erat; et unam habens cum eo voluntatem, quatenus Deus, humanam simul voluntatem habebat semper Divinae conformem, perinde ac si una utraque esset: sub quo respectu non negat quoque D. Aug. l. 1. de Trin. c. 7., *Patrem etiam Deum esse Unigeniti Filii, quoniam factus est homo, et natus ex femina.* Sub eodem quoque respectu numquam gloriam suam quaesivit, sed quidquid egit, retulit semper ad Patris gloriam, et ad Divini Nominis manifestationem. Sub quo etiam respectu, ut explicat Duhamelius dixit filiis Zebedaei: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis*; ut pergit nempe laudatus Interpres, *quatenus homo sum.* Quo super loco addit D. Aug. in Ps. 126., idem significasse illis verbis, ac si dixisset: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare superbis, hoc enim adhuc erant, qui illud petebant, tamquam quid terrenum, aut jure consanguinitatis; sed meum est dare humilibus, quibus paratum est a constitutione Mundi.* Eique etiam praeiverat D. Ambrosius l. 5. de Fide c. 2., ubi: *Non dixit* (inquit); *Non est meum dare, sed non est meum dare vobis: non sibi potestatem deesse, asserens, sed meritum creaturis. Accipe aliter: Non*

est meum, qui veni humilitatem docere: non est meum, qui veni non ministrari, sed ministrare: non est meum, qui justitiam servo, non gratiam. Denique *ad Patrem referens, addidit: Quibus paratum est a Patre meo, ut ostenderet, Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est.* Caeterum Christi quoque esse dare hoc Regnum, diserte ipse ait apud Lucam c. 22.: *Et Ego* (inquiens) *dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum.* Quare dum filiis Zebedaei inquit, id potius esse Patris, ita inquit, tum quia, ut homo, omnia semper Patri retulit; tum ut honesto titulo a se eos repelleret ambitiose primatum petentes; tum denique, quia sicut sapientia, et opera Sapientiae appropriantur Filio, et opera bonitatis Spiritui Sancto, sic opera potentiae, et providentiae, cujus pars est praedestinatio ad Regnum Coelorum, appropriantur Patri. Ita etiam scite in hunc locum Cornelius a Lapide.

Objic. 5.° illud ad Coloss. 1., ubi Christus dicitur *primogenitus omnis creaturae.* Cui respondet in Textu graeco illud Prov. 8. *Dominus creavit me in initio viarum suarum*; et quod Joannes Baptista ait de Christo loquens: *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Si autem primogenitus omnis creaturae, creatus, et factus, profecto non Deus: Non ergo hic praedicandus.

R. neg. cons.; quoad 1.m enim, dicitur primogenitus omnis creaturae, quia ab aeterno ante omnem creaturam genitus, idest prius genitus, quam ulla creatura, est enim primogenitus, quasi *prius genitus*; atque ut idem Apostolus ibidem explicat, ratione dignitatis, et causalitatis, continenter enim subdit: *Ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Utque D. Basilius addit l. 4. cont. Eunomium, quemadmodum dicitur *primogenitus mortuorum*, (Apoc. 1.) quatenus causa resurrectionis mortuorum, ita dicitur *primogenitus omnis creaturae*, quatenus causa, cur creaturae existant, etenim *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

Quoad 2.m, nec in Hebraeo, nec in nostra Vulgata legitur: *Dominus creavit me*, sed *possedit me*, idest *genuit me*, prout nempe Heva ait, quum genuit Enos, Geneseos 4: *Possedi hominem.* In Graeco autem legitur: *Dominus creavit me*, quia, ut supra di-

*

ximus, tum apud Graecos, tum etiam nonnumquam apud Latinos *creare*, et *gignere* promiscue sumuntur.

Quoad 3 m. demum, aliud Baptista significare noluit, nisi quod Christus longe ipsi praeeminebat in dignitate, atque excellentia, ut ex verbis immediate sequentibus colligitur: *Quia prior me erat*; quorum posteriorum verborum sensus, si vis creationis prioribus verbis tribuitur, nonne esset: *Ante me creatus est, quia prior me creatus est*? Quid autem ineptius? Potestne ambigi, quod, qui prius creatus est, prior sit eo, qui creatus est posterius? Accedit, quod in Textu utique verti potest *fuit* pro *factus est*.

Objic. 6.° illud Apostoli 1. ad Tim. c. 2., ubi Christus dicitur *Mediator Dei, et hominum*. Nemo autem mediator esse potest apud seipsum: Non ergo Deus.

R. 1.° dist. maj.; quod nempe ejusmodi dicitur, quatenus homo, seu ratione humanae Naturae assumptae, non vero, quatenus Deus: atque docet D. Thomas, dicitur Mediator, quia sicut *extrema conjunguntur in medio*; sic in eo duo extrema, nempe duae Naturae infinite inter se distantes conjunguntur in unitate Personae. Ac 2.° etiam neg. cons., cum enim officium Mediatoris sit penes Christi personam duplici praeditam Natura, Divina scilicet, et humana, et Christi Persona utique distinguatur a Persona Patris, inter quam, et homines Christus, tamquam Mediator, intercedit, juxta illud Jo. ep. 1. c. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*; nemo non videt, negari item posse, quod quum Christus dicitur Deus, ac simul Mediator Dei, et hominum, apud seipsum Mediator esse dicatur.

Objic. 7.° Si Christus dicitur Filius Dei adoptivus, consequens profecto est, verum, ac summum non esse Deum. Dicitur autem Filius Dei adoptivus tum Jo. 1., ubi vocatur, non quidem Unigenitus, sed *quasi Unigenitus*; tum Jo. 10., ubi habetur, quod cum Judaei Christum redarguissent, quoniam Filium Dei se diceret, *respondit illis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit, et misit in Mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?* Ex quibus verbis quid clarius, quam quod per Sanctitatem, et gratiam, ideoque adoptione, non natura Filium Dei se dixerit? Non ergo, nisi Filius

Dei adoptivus, nec proinde Deus, nisi appellative, et improprie.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, verbum *quasi*, ut advertit D. Jo. Chrysost. hom. 11. in Jo., verbum hic est *confirmationis, et indubitatae determinationis*; prout quoque accipitur Matth. 14., ubi legitur: *Quia, sicut Prophetam, eum habebant*; nec non ep. ad Philem., ubi: *Ut Paulus, senex*: utque etiam nonnumquam sermonis consuetudo illud accipit; quum nempe ex. gr. videntes Regem majestate, ac regali comitatu incedentem, vidisse, dicimus, magnificentiam, ut Regis, idest Rege dignam, eique propriam. Quod si etiam habet non raro sensum diminutivum, quum tamen hunc habet, ad illum ex adjunctis determinatur. Accedit, quod Apostoli nec in ipsa Transfiguratione viderant gloriam Unigeniti a Patre, quia *Deum nemo vidit umquam*; sed *quasi Unigeniti*, quia ex visione ejus operum, et gloriae temporalis *quasi* ad videndamejus gloriam aeternam per speculum in aenigmate perducti fuerant.

Quoad alterum vero, nedum illud nihil contra nos facessit, verum etiam Christi Divinitatem magis, magisque comprobat: 1.°, quia cum sustulissent *lapides Judaei, ut lapidarent eum de blasphemia, quia homo cum esset, faceret seipsum Deum*, debuisset profecto, ut alibi diximus, si non agnovisset verum, quod ipsi a Judaeis objiciebatur, crimen ipsi objectum refellere, *Non sum* (inquiens) *Deus*. Nedum autem id non egit, sed et confirmans, quod Judaei apprehenderant, *si non facio* (inquit) *opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite*. 2.° quia praeferens se omnibus, quos lex filios Dei appellat, hoc ipso declaravit, se non esse, ad instar caeterorum, Dei Filium per adoptionem. 3.° quia cum nemo dicatur mitti in aliquem locum, nisi ante fuerit alibi, hinc, ut D. Thomas disserit lect. 6. in c. 10. Jo., *quem Pater misit in Mundum, est Filius Dei, qui in aeternitate praeextitit*. Quibus positis, nequaquam significavit Christus praefatis verbis, Filium Dei se esse per adoptionem, sed a minori ad majus arguendo, repellere a se voluit blasphemiam, de qua a Judaeis reprehensus fuerat, quod Filium Dei se dixerat; utque D. Aug. tract. 48. in Jo. interpretatur, sanctificatum se inquit, quia ejus generatio a Patre est *in splendoribus Sanctorum*, idest sanctita-

tis ; vel ut interpretatur D. Hilarius l. 7. de Trin., quia Pater, cum quo *unum* paullo ante se dixerat, mirabiliter quoque ejus humanitatem sanctificaverat.

Objic. 8.° , quod si Deus Pater gigneret Deum Filium, alium quoque Deum gigneret, ac ex uno Deo fierent duo Dii ; prout, dum homo generat filium, alium quoque hominem gignit, ac ex uno homine fiunt duo homines. Hoc autem et fides, et ratio condemnant: Et ergo, quod Deus Pater Deum Filium gignat. 2.° gignendo Deum Filium, gigneret Deum, qui non est Pater. Deus autem, qui non est Pater, non est verus Deus: Filium ergo gigneret, qui verus Deus non esset. 3.° cum in ideam generationis ingrediatur, ut antea non extiterit id, quod generatur, hinc Deus Pater gignendo Deum Filium, gigneret Filium, qui antea non extitisset: etiam quia si id, quod corrumpitur, desinit esse, e converso id, quod gignitur, incipit esse. Porro quod aeternum non est, neque etiam est Deus: Neque ergo hic Dei Filius esset Deus. 4.° gignendo Deum Filium, vel gigneret Filium existentem, vel non existentem. Neutrum autem dici potest; non enim 1.m, quia frustra illum gigneret. Non alterum, quia hoc ipso, quod Filius antea non extitisset, neque etiam esset Deus: Figmentum ergo, quod Deus Filium generet. 5.° cum dicatur, Pater, et Filius eamdem numero essentiam habere, Filius proinde, dum ex Patris essentia gigneretur, ex sui ipsius essentia gigneretur, quare esset sui ipsius et Filius, et Pater. Id autem contradictionem implicat: Et contradictionem ergo implicat, quod Pater, et Filius sint unus Deus. 6.° demum gignendo Deum Filium, vel gigneret se Deum, vel alium Deum. Non 1.m, cum nemo possit seipsum gignere. Non alterum, quia Deus est unus: Et rursum igitur figmentum, quod Deus Filium generet. Ex quo consequens est, quod quum Christus dicitur Dei Filius, ejusmodi non natura, sed per adoptionem dicitur. Ita ex Socinianis Wolzogenius.

R. Et quoad 1.m neg. sequ. maj.; tum quia dum comparatio instituitur inter Deum, et res creatas, omnis removeri debet imperfectio, prout sunt in humana generatione, et naturae divisio, et alia id genus; tum quia generatio in humanis fit per materiae af-

fluxionem, quae procul est ab aeterna Filii Dei generatione.

Quoad 2.m dist. maj., quod nempe Pater, gignendo Deum Filium, gignit Deum, qui non est Persona Patris; non autem, qui cum Patre non est unus Deus. Cum quo proinde Filius genitus cum sit unus Deus, verus quoque, ac summus Deus cum eo est.

Quoad 3.m, neg. maj.; quod PP. explicant contra Arianos comparatione caloris respectu ignis, et luminis respectu Solis; tam calor enim ab igne, quam lumen a Sole diffunditur absque ulla temporis praeexistentia, sed statim, ac simul. Ratio autem est, quod generatio in Deo terminum non habet extrinsecum, et mutabilem, sed intrinsecum, et immutabilem. Ad id vero, quod additum est, dicimus cum Estio dist. 9. §. 3., latam disparitatem inter utrumque adesse, cum gigni significet accipere esse, etiamsi non esse non praecesserit; corrumpi autem non significat accipere non esse, cum non entis nulla sit causa, sed significat amittere esse. Falsum proinde est, quod sicut id, quod corrumpitur, desinit esse, ita e converso id, quod gignitur, incipit esse, sufficit enim, quod id, quod gignitur, accipiat esse, etiamsi non esse non praecesserit: quod utique verum est in Filio Dei.

Quoad 4.m neg. maj.; supponit namque, generationem Filii Dei fuisse in tempore, cum fuerit ab aeterno. De qua proinde nonnisi per fallaciam quaeritur, quod Pater gignendo Filium, vel genuit Filium existentem, vel non existentem: cum enim ab aeterno genitus fuerit, ab aeterno extitit: cumque ab aeterno extiterit, quia ab aeterno genitus fuit, numquam etiam extitit prius, quam gigneretur.

Quoad 5.m, neg. sequ. maj.; dum enim fides profitetur, quod Deus Pater generat Filium, non dicit, Divinam Essentiam absolute acceptam esse principium generationis, sed Divinam Essentiam relative sumptam, seu quatenus est Essentia Patris. Cumque essentia nec generet, nec generetur, ut supra diximus cum Concilio Lateranensi IV., accuratius dicitur Filius genitus a Patre, quam ex essentia Patris: ac tantum admitti potest hic loquendi modus, quatenus, Pater qui generat, est sua essentia, et Filius genitus est ipsamet essentia Patris.

Quoad 6.m denique, neg. maj.; Deus Pater enim gignendo Deum Filium, neque gignit se, neque alium Deum, seu personam habentem aliam Divinitatem, sed aliam Personam, cum qua est unus Deus.

Objic. 9.°, quod Dei proprietas est, esse ingenitum. Si autem in Divinis adesset Filius, hic ingenitus non esset: Ergo nec Deus. Cui accedit, quod Pater profecto est Persona Divina. Filius autem, ut Romana Ecclesia docet, non est Pater: Ergo nec persona Divina. Cumque si Deus Pater Filium gigneret, hic non esset natura Deus, nec Persona Divina, dum Christus proinde dicitur Dei Filius, ejusmodi non natura, sed per adoptionem dicitur.

R. quoad 1.m. dist. maj.; quod nempe Dei proprietas est, esse ingenitum, idest *non creatum*, *non factum*; non autem *non natum*, *non genitum*, quod quidem in Divinis est proprietas naturae, ut enim diximus cum Conc. Later. IV., natura nec generat, nec generatur, at non cujusvis personae.

Quoad alterum vero, merum esse sophisma, ac huic prorsus simile: Petrus est persona humana. Paulus autem non est Petrus: Ergo Paulus non est persona humana. Vah bellam ratiocinationem! Ratio autem est, quia utraque syllogismi praemissa est particularis; ex quibus idcirco, ut alibi etiam diximus, nihil concludi potest.

Objic. 10.° quod nullibi Scripturarum legitur, Verbum esse Patri consubstantiale, immo nec etiam apud Patres, qui ante Nicaenum Concilium floruerunt. Quod cum ita sit, explodenda saltem est ejusmodi phrasis, tamquam nova: Haec saltem ergo explodenda. Accedit, quod cum una, eademque res dici nequeat sibimet consubstantialis, vox *consubstantialis* proinde usurpari potest ad significandam rem participem ejusdem speciei substantiae, non tamen unam, eamdemque substantiam. Essentia autem Divina rationem speciei excludit; suntque Trinitatis Personae, non quidem ejusdem substantiae participes, sed una, eademque substantia: Quomodo ergo dici possunt sibi consubstantiales? Hinc demum Synodus Antiochiae habita annis circiter sexaginta ante Synodum Nicaenam, vocem ejusmodi in Paulo Samosateno proscripserat. Probari ergo nequit, quod eam Nicaena Synodus deinde adhibuerit.

R. ad 1.m neg. cons.; quia licet in Scripturis non reperiatur expressis verbis, Filium esse Patri consubstantialem; utique tamen in iis reperitur aequivalenter, et secundum ipsum conceptum; numquid enim alium conceptum praebet, quod ait Christus Jo 10. *Ego, et Pater unum sumus*, quam, *Ego, et Pater sumus una res, una substantia?* Hoc autem exprimitur per verbum *consubstantialis*. Quemnam item conceptum praebet quod ait Jo. 16. *Ego in Patre, et Pater in me est*, quam, *Ego, et Pater sumus, nedum ejusdem substantiae, sed neque etiam substantialiter seorsum, sed simul?* Et id autem exprimitur per verbum *consubstantialis*. Quem eumdem sensum alii etiam ingerunt Scripturae textus, quibus ostendimus, Christum verum, ac summum esse Deum, cum Deus nonnisi unus essentia, ac substantia esse possit. Nedum caeterum vox *consubstantialis*, sed et *Trinitas*, *peccatum originale*, *transsubstantiatio* voces et sunt, quas Ecclesia ad dogmata luculentius enuncianda, et fraudes haereticorum tum detegendas, tum vitandas induxit.

Quod vero nemo ex PP. Antenicaenis dixerit, Verbum esse Patri consubstantiale, putidum mendacium est; ut praecipue patet ex facto, cujus supra meminimus D. Dionysii Alexandrini, qui calumniatus apud Dionysium Rom. Pontificem, quod de Christi Divinitate non recte sentiret, calumniam repulit, obtestans, se numquam negasse, Christum esse Deum, ac Deo Patri consubstantialem, etiamque argumentis a se allatis id probasse; vocem vero ipsam *consubstantialem* non usurpasse, quia illam in Scripturis non legerat. De cujus quoque consubstantialitate, ut diximus, ubi de ejus fidei rectitudine quoad Christi Divinitatem disseruimus, testimonium reddens in ep. cont. Paulum Samos., *illum* (inquit), *qui erat natura Dominus, et Verbum Patris, quem Sancti Patres consubstantialem Patri vocaverunt, etc.*. Et sane nedum et apud D. Ignatium Martyrem ep. ad Magnesianos, et apud Pamphylum Martyrem in Apologia pro Origene, et apud Tertull. initio libri adversus Praxeam, et apud D. Methodium Martyrem l. De Simeone et Anna reperitur consubstantialitatis vocabulum adhibitum, verum etiam perantiquum illud esse, ipse fatetur Eusebius in ep. ad suos Caesarienses apud Socratem l. 1. hist. Eccl. c. 8.

Ad 2.m neg. maj.; quum enim dicimus Filium Patri consubstantialem, non quidem essentiam, sed Personam Filii illi consubstantialem dicimus. Porro quum agitur de essentiis, quae proprietatibus, seu notis peculiaribus seorsum existunt, cujusmodi sunt in creatis, quae dicuntur habere rationem speciei, et in singulis individuis multiplicantur, tunc quidem vocabulum *consubstantiale* significat rem participem ejusdem specie substantiae: non vero ubi agatur de Essentia Divina, quae ejusmodi non est, sed in tribus Personis absque ulla separatione unius ab alia existit, estque in iis individua, et indistincta. Hinc significat, non quidem Personas Divinas esse ejusdem substantiae participes, sed unam, eamdemque numero habere substantiam.

Accedit, quod cum prius in Symbolo Nicaeno profiteamur credendum *in unum Deum*, hoc ipso dum posterius Dominus Jesus Christus dicitur Patri consubstantialis, jam dicitur unius numero naturae cum Patre; si enim specie, non numero unius essent naturae, quemadmodum duo homines specie quidem, non numero sunt unius naturae, essent quoque duo Dii, neque idcirco crederemus *in unum Deum.*

Ad 3.m neg. ant.; non enim Patres Antiocheni proscripserunt vocabulum *consubstantiale*, sed rejecerunt haeresim Pauli Samosateni eo vocabulo abutentis ad negandam Christi Divinitatem, atque hoc modo disserentis, ut refert D. Athan. l. De Synodis: *Si Christus ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri, atque hinc necesse est, tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes.* Quo vocabulo, ut alii volunt, abutebatur ad evertendam Personarum Divinarum Trinitatem, et hanc namque haeresim Samosatenus docuit, ut supra diximus c. 2. pag. 19., atque hoc modo disserens, ut colligitur ex eodem D. Ath. in l. de Syn. Arim., et Seleuc.: Si Pater, Filius, et Spiritus Sanctus essent Personae realiter distinctae, non essent sibi consubstantiales, quippe quod eos inter Natura Divina velut scinderetur, ac divideretur. Sunt autem sibi consubstantiales: Non igitur Personae realiter distinctae, sed nonnisi unus Deus sub illa triplici appellatione. Porro PP. Antiocheni proscribentes vocabulum *consubstantiale,* Paulum Samosate-

num eo vocabulo abutentem , non vero ipsum vocabulum proscripserunt.

Immorandum diu erat super hoc nobilissimo Divinitatis Christi argumento, cum praecipuum sit nostrae fidei caput, ac nostrae salutis fundamentum; ut enim ait Apostolorum Princeps Act. 4. *Non est aliud nomen sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; utque ait D. Paulus 1. ad Cor. 3. *Fundamentum . . . aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.*

CAPUT VI.

De Personalitate, ac Divinitate Spiritus Sancti.

Post Sadducaeos, qui Angelos, et quemvis Spiritum negabant; post Montanistas, dictos quoque Cataphryges a Provincia Phrygiae, e qua Montanus prodiit, qui Montanum, ajebant, esse Paraclitum a Christo promissum: post Sabellianos, qui Spiritum Sanctum unam esse, ajebant, cum Patre Personam: post Arianos, qui sicut Filium, ita etiam Spiritum Sanctum creaturam dicebant, teste D. Epiphanio haer. 60.; quod caeterum cum de Spiritu Sancto expressis verbis non dicerent, neque etiam Concilium Nicaenum I, hanc haeresim expresse damnavit: post Anomaeos, quorum dux Aetius, ac Eunomianos, sic dictos ab Eunomio, qui id apertius dixerunt: post Macedonianos, sic dictos a Macedonio Episcopo Constantinopolitano, qui omnium apertissime Spiritus Sancti Divinitatem oppugnarunt: demum Sociniani, omnium ferme haeresum praeteritorum saeculorum consarcinatores, omniumque haereticorum pessimi, nedum Spiritus Sancti Divinitatem impetere ausi sunt, verum etiam ipsam ejus Personalitatem negantes, eum dixerunt non esse, nisi meram Dei virtutem, et efficaciam, ideoque nec Deum, ac neque etiam Personam. Duplicem proinde eorum haeresim circa Spiritum Sanctum duplici etiam thesi profligandam suscipimus. Quare sit

Prop. I. Spiritus Sanctus vera est Persona. Est de fide.

Probatur. Et 1.° ex illis Scripturae locis, in quibus operationes Spiritui Sancto tribuuntur, ut enim vulgare fert effatum: *Actiones sunt suppositorum.* Ita nempe Jo.

14. , ubi legitur promissio a Christo Apostolis facta, quod Spiritus Sanctus *eos docuisset omnem veritatem.* Item ep. 1. Jo. c. 5. , ubi dicitur, quod Spiritus Sanctus simul cum Patre, et Verbo dant in Coelo testimonium, quod Christus est Filius Dei. Item 1. ad Cor. c. 12. , ubi dicitur, quod per Spiritum Sanctum omnia Dei dona hominibus distribuuntur. Item. 1. ad Timoth. c. 4. , ubi dicitur, quod Spiritus Sanctus *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Item Actuum c. 13. , ubi Paulus, et Barnabas dicuntur expresso Spiritus Sancti jussu segregati, et missi ad praedicandum Gentibus; et c. 20. , ubi Episcopi dicuntur positi a Spiritu Sancto ad Ecclesiam Dei regendam. Haec autem omnia nequeunt, nisi de vera, ac subsistente persona praedicari: Vera igitur, ac subsistens Persona est Spiritus Sanctus.

Inquiunt quidem hic Sociniani, quod per figuram *prosopopeiae* praedicantur etiam de non personis operationes personales; ut cum de charitate dicitur, quod patiens, et benigna est, quod non agit perperam, non inflatur, etc. . Ex eo igitur, quod de Spiritu Sancto praedicantur operationes personales, inferri nequit, saltem indubitanter, quod sit persona.

Sed respondetur neg. cons.; ubi enim de materia gravi agatur, potest quidem locutio figurata semel, bis, raro usurpari, non vero frequenter, multoque minus constanter, secus namque, ut alibi etiam diximus, sermo non esset verax, sed mendax, et ad decipiendum compositus. Semelne autem, bis, raro, an vero frequenter, et constanter tribuuntur Spiritui Sancto operationes personales? Frequenter utique, et constanter: Non per figuram igitur, sed in sensu proprio ei tribui, dicendum est. Accedit, quod si per figuratam locutionem tribuerentur Spiritui Sancto operationes personales, debuisset notis id innui in aliquo Scripturae loco, ne aliter data nobis fuisset errandi occasio in materia tam gravi, aestimandi Spiritum Sanctum, tamquam personam, cum persona non esset. Nullibi autem id nobis innuitur: Non igitur per figuratam locutionem, sed in sensu proprio illi tribuuntur. Quod vero allatum est ex ep. ad Cor., intelligendum est, non abstracte, quia abstracta non operantur, sed concrete, seu subjective, pro homine scilicet charitate instructo, *qui patiens est, etc.*; ipsaque Apostoli locutio evidenter id aperit, ut errori non pateat

aditus : quod in locis, ubi loquitur de Spiritu Sancto, minime advertitur.

2.° Ex illis Christi verbis Jo. 14. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Si autem dicitur a Patre, et Filio distinctus, nec non et alius ab utroque, et mitti, hoc ipso dicitur veram cum Patre, et Filio esse Personam: Vera igitur Persona, perinde ac Pater, et Filius.

3.° Ex eo, quod dicitur Jo. 16. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Cui respondet quod ait Christus Jo. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Utrobique autem nomen Spiritus, et Paracliti nequit solam virtutem, et energiam significare, cum haec etiam ante glorificationem, et Ascensionem Christi tum priscis Patriarchis, tum ipsis Apostolis collata fuerint: Non ergo Spiritus Sanctus mera Dei virtus, et efficacia, sed vera, ac subsistens Persona.

4.° Ex forma Baptismi, qui Matth. ult. ex aequo dandus praescribitur *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Pater autem, et Filius, ipsis non diffitentibus Socinianis, sunt Personae: Ergo et Spiritus Sanctus. Cui accedit, ridiculum esse, aliquem dici baptizari in nomine alicujus qualitatis, et attributi; etiam quia Personarum tantum est invocari nomen: Perinde ergo ac Pater, et Filius, vera, et subsistens Persona Spiritus Sanctus credendus est.

5.° Iis omnibus momentis, quibus cap. 4. Divinarum Personarum Trinitatem ostendimus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Ap. 1. ad Cor. c. 1. *Nemo scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Ita et, quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*; ubi Apostolus Spiritum Dei comparat cum spiritu hominis. At 1.° Spiritus, qui est in homine, non est Persona ab homine distincta: Neque ergo Spiritus Dei dicenda est Persona ab ipso Deo distincta. 2.° Spiritus hominis non est Persona: Neque igitur Spiritus Dei est Persona.

R. Et quoad 1.m, concedendo totum argumentum,

etenim Spiritus Sanctus Persona quidem est, sed simul Persona, quae a substantia Dei realiter non distinguitur. Quod tamen Persona sit, ex ipsa comparatione confirmatur; quemadmodum namque Spiritus hominis substantialiter est in homine, ita Spiritus Sanctus mera dicenda non est Dei virtus, ut Sociniani blasphemant, sed ipsa Dei substantia: cumque haec sit impartibilis, hinc dicendum est, quod totam habeat Divinitatis plenitudinem.

Quoad alterum vero, negando cons., et paritatem; etenim Spiritus hominis non est persona, quia est pars hominis. Numquid autem Spiritus Dei ipsius Dei pars est? Tantum ergo abest, quod argumentum habeat aliquod robur contra personalitatem Spiritus Sancti, quinimmo adversus Socinianos retorqueri potest ad eam probandam, sic arguendo: Ideo spiritus hominis non est persona, quia est pars hominis. Cum igitur Spiritus Dei non sit pars Dei, cum procul a Deo sit quaevis compositio, persona esse debet.

Objic. 2.° , quod non raro dicitur in Scripturis Spiritus Sanctus distribui, augeri, imminui, extingui. Haec autem dici nequeunt de Persona: Non igitur Spiritus Sanctus Persona.

R. neg. cons.; illic namque, ubi talia dicuntur de Spiritu Sancto, *metonymice* sumitur Spiritus Sanctus pro donis Coelestibus, quae distribui, augeri, imminui, ac prorsus auferri, procul dubio est. Quod autem non raro, immo passim per figuram *metonymiae* persona efficiens, et res effecta promiscue sumantur, innumeris exemplis illustrari posset; ut dum Moyses, et Prophetae pro eorum libris, lingua, labium, guttur pro sermone, gladius pro caede, manus pro conatu, et auxilio accipiuntur. Quo etiam modo, idest *metonymice*, dum nonnumquam in Scripturis Spiritus Sanctus accipitur, ex loquendi modo, ex subjecta materia, ex circumstantiis, ex antecedentibus, et consequentibus dignosci debet.

Objic. 3.° , quod absurdum dictu est, unam personam esse in alia. Deus autem, in quo est Spiritus Sanctus, est Persona: Non igitur Persona etiam Spiritus Sanctus, qui in eo est.

R. neg. maj.; Filium namque esse in Patre, et Patrem in Filio, expresse Christus adstruit Jo. 14. illis verbis: *Ego in Patre, et Pater in me est.* Quomodo autem id sit, difficile quidem explicatu est; at prae

oculis habendum, quod, ut dicitur Jer. 32., est Deus *incomprehensibilis cogitatu*; quodque, ut in aliis nobis imperviis, ita etiam in hoc mentis nostrae scrutationibus silentium est imponendum ex ostensis l. 1. tract. 8. c. 1., prop. 2,, et 3.. Ut nonnihil tamen dicamus, explicant id Doctores per inseparabilem Naturae Divinae unitatem, quae cum ubique sit tota, Personarum separationem non patitur: ex quo sequitur, quod Personae Divinae distinguuntur quidem inter se, quia ad invicem referuntur; non distinguuntur tamen ab essentia, quia illi relative non opponuntur. Cumque una sit in alia, quatenus unum sunt substantia, ac majestate, non quod proprietas unius Personae sit proprietas alterius, hinc dum non confunduntur sub ratione Personae, non sunt tamen tres Dii, quia non sunt tres substautiae, sed una, eademque substantia in qualibet ipsius Personae proprietate.

Prop: II. Spiritus Sanctus verus, ac summus est Deus. Est de fide.

Probatur 1.º ex Scripturis.

Et 1.º ex illis Scripturae locis, in quibus Spiritui Sancto augustissimum Dei Nomen in sensu proprio tribuitur.

Jam ex ostensis initio c. ant. prop. 2., licet nomen Dei in Scripturis sumatur aliquando, non proprie, sed appellative, seu metaphorice, hoc tamen posteriori modo numquam sumitur, sed semper sumitur proprie, quum vel exprimitur per nomen *Jehovah*; vel tribuitur absque restrictione, aut addito, sed absolute, et in numero singulari; vel tribuitur in Novo Testamento; vel demum, non raro, sed frequenter tribuitur. Porro in Scripturis tribuitur 1.º Spiritui Sancto nomen *Jehovah*; Jsaiae enim 6., ubi in nostra Vulgata legitur, quod Dominus dixit Jsaiae: *Vade, et dices populo huic; Audite audientes, et nolite intelligere, etc.*, in hebraeo legitur, quod *Jehovah* id Jsaiae dixit. Actuum vero 28. dicitur Spiritus Sanctus fuisse, qui ita Jsaiae jussit, arguens enim illic D. Paulus Judaeorum duritiem, *bene* (illis inquit) *Spiritus Sanctus locutus est per Jsaiam . . . Vade ad populum illum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis*: Ei

ergo Dei Nomen proprie tribuitur, ideoque verus, ac summus est Deus.

Nihil hic inquiunt Sociniani, nisi quod syllogismus coalescat ex praemissis particularibus, ex quibus nihil concludi potest, hoc modo disserens: *Jehovah* locutus est Isaiae. Spiritus Sanctus locutus est Isaiae: *Jehovah* ergo Spiritus Sanctus. Ita ex iis Crellius.

Sed falsum, quod praemissae in syllogismo a nobis allato sint ambae particulares, non enim disserit, ut mentitur Crellius, sed hoc modo: Qui tunc Isaiae locutus fuit, dicitur *Jehovah.* Fuit autem Spiritus Sanctus, qui tunc locutus fuit Isaiae: Ergo Spiritus Sanctus dicitur *Jehovah.* Quo in syllogismo nemo non videt, quod propositio major universali aequivalet.

2.° Illi tribuitur Dei Nomen absque restrictione, aut addito, sed absolute, et in numero singulari; cum enim David l. 2. Reg. c. 23. dixisset: *Spiritus Domini locutus est per me*, exponens immediate postea, quis fuerit ille Spiritus Domini, subdit: *Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel Dominator hominum.*

3.° Illi tribuitur in Novo Testamento, dicitur enim ep. ad Heb. c. 1., quod Deus *locutus est in Prophetis*; Actuum vero c. 1., quod per Prophetas locutus ipse fuit Spiritus Sanctus, Apostolos namque alloquens D. Petrus, ut praevaricatori Judae alius sufficeretur, *Viri fratres* (inquit), *oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, etc..* Et ep. 2. c. 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Utque et hoc, et antecedens argumentum Socinianorum sophismatibus eripiatur, ita etiam ambo institui possunt: Qui per Prophetas, et in Prophetis locutus fuit, dicitur Deus absque restrictione, aut addito, sed absolute, et in numero singulari, ac in Novo Testamento; eoque modo in Scripturis numquam Dei Nomen sumitur appellative, seu metaphorice, sed semper proprie, idest nonnisi verum, ac summum Deum significans. Fuit autem Spiritus Sanctus, qui per Prophetas, et in Prophetis locutus dicitur: Spiritus Sanctus ergo verus, ac summus est Deus.

Demum non raro, sed frequenter augustissimum Dei Nomen illi tribuitur; illi enim praeterea tribuitur Actuum 5., ubi D. Petrus Ananiam increpans, quod

integrum ad Apostolos non detulerat venditi a se agri pretium, *Ananias* (inquit), *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? . . . Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quid clarius? Prius enim dicitur, quod Ananias mentitus fuerat Spiritui Sancto. Subditur autem, quod mentiendo Spiritui Sancto, mentitus fuerat Deo: Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

Totos proinde Sociniani se contorquent, ut inde evadant; ajentes 1.°, quod in textu graeco non legitur, *mentiri te Spiritui Sancto*, sed *mentiri te Spiritum Sanctum*, idest *hypocritam te simulari.* 2.° quod Ananias mentitus fuerat Spiritui Sancto, mentiendo Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat. 3.° quod recte non infertur ex eo, quod dicitur mentitus fuisse Spiritui Sancto, hunc esse Deum; cum enim et Spiritui Sancto, et Deo potuerit mentiri, hinc ratiocinatio huc recidit: Ananias mentitus est Spiritui Sancto. Ananias quoque mentitus est Deo: Ergo Spiritus Sanctus est Deus. Prout si quis diceret: Qui spernit Apostolos, spernit simul et Christum: Ergo Apostoli sunt Christus. Ita etiam ex iis Crellius.

Sed respondetur ad 1.m, quod, ut Grotius demonstrat, verbum *mentiri* modo cum dativo, modo cum accusativo construitur, idemque in utroque casu significat; idque ex ipso textu graeco colligitur, ubi versu 3., de quo agitur, construitur cum accusativo, et versu 4. cum dativo. Nemo autem non videt, quod hi ambo versus sibi invicem referuntur: Cum ergo *mentiri* in 4. versu proculdubio significet, quod Ananias fuerat mendax, idem quoque dicendum, quod in versu antecedenti significet.

Ad 2.m, tum nullibi Scripturarum legi, quod Apostoli Spiritus Sancti nomine donati fuerint; tum quod degebat quidem Spiritus Sanctus in Apostolis, at loco citato distinguit D. Petrus Apostolos a Spiritu Sancto, Ananiam, inquiens, mentitum non fuisse hominibus, idest Apostolis; quibus profecto, posita Crellii argutatione, mentitus esset, non enim, quia in iis degebat Spiritus Sanctus, ideo homines non erant.

Ad 3.m, quod non dicitur Ananias mentitus fuisse Spiritui Sancto, et Deo, ut supponit Crellius, sed mentitus fuisse Spiritui Sancto, ac mentiendo Spiritui San-

eto, mentitus fuisse ipsi Deo. Quare argumentum non est, prout a Crellio invertitur, prorsus vitiosum, sed prout a nobis fuit propositum, nullo prorsus vitio laborans.

Probatur 2,° ex illis Scripturae locis, in quibus Attributa, quae nequeunt, nisi de Deo praedicari, Spiritui Sancto tribuuntur.

Ejusmodi enim est immensitas, et omnipraesentia; quae Spiritui Sancto tribuitur tum Sap. 1., ubi: *Spiritus Domini replevit Orbem Terrarum*; tum Ps. 138., ubi: *Quo ibo a Spiritu tuo; et quo a facie tua fugiam?* Ejusmodi etiam est Omniscientia; quae Spiritui Sancto tribuitur tum Jo. 16., ubi: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; tum 1. ad Cor. 2., ubi: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Ejusmodi etiam est Omnipotentia; quae Spiritui Sancto tribuitur tum Job 33., ubi: *Spiritus Dei fecit me*; tum Ps. 32., ubi: *Verbo Domini Coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; tum Lucae 1., ubi dicitur *Virtus Altissimi.* Quibus accedunt Scripturae textus, ubi de Spiritu Sancto praedicantur operationes, quae nonnisi de Deo possunt quoque praedicari; ut gratiae collatio, sanctificatio, justificatio 1. ad Cor. c. 6., ubi: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Hominum adoptio in filios Dei ad Rom. 8., ubi: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Collatio omnium donorum 1. ad Cor. 12., ubi: *Divisiones gratiarum sunt . . . Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem etc. . . . Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Diffusio charitatis ad Rom. 5., ubi: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Christi, ac futura omnium Resurrectio ad Rom. 8., ubi: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* Hinc D. Fulgentius l. 3. ad Trasimundum: *Dicatur igitur, si Coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus: si potest vivificare, qui non est Deus: si potest in baptismatis regeneratione sancti-*

ficare , qui non est Deus : si potest charitatem tribuere , qui non est Deus : si potest gratiam dare , qui non est Deus : et digne Spiritus Sanctus negabitur Deus. . . Si autem creaturae possibilia numquam fuerunt , et inveniuntur in Spiritu Sancto , quae tamen soli competunt Deo , non debemus naturaliter diversum a Patre , Filioque dicere , quem in operum potentia diversum non possumus invenire.

Probatur 3.° *selectis aliis Sacrarum Litterarum testimoniis.*

Ut ex forma a Christo praecepta Matthaei ult. baptizandi omnes *in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti.* Ex ostensis autem et Pater , et Filius est Deus: Cum ergo ex aequo baptizemur in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti , aeque etiam Spiritus Sanctus dicendus est Deus. Item ex Jo. 14. , ubi Spiritus Sanctus dicitur *a Patre procedere*. Nequit autem a Deo procedere , quod vel sit a Divinitate diversum , vel non consubstantiale , quin dicatur Essentia Divina vel accidentium origo , vel arboribus similis , quae flores , aut fructus emittunt : Cum ergo a Patre procedat , ejusdem substantiae , eique consubstantialis esse debet. Item ex 1. ad Cor. c. 3. , ubi fideles dicuntur *Templum Dei.* Iidem autem c. 6. dicuntur esse *Templum Spiritus Sancti* : Deus ergo Spiritus Sanctus. Cui accedit , quod Templa nonnisi Deo consecrari possunt. Dicuntur autem fideles Spiritus Sancti Templa : Opus ergo est ob id quoque eum Deum fateri.

Probatur 4.° *ex Traditione Patrum , qui ante Nicaenum Concilium floruerunt.*

Horum tantum meminimus , neque enim ipsimet Sociniani inficiantur , omnes uno ore posteriores Patres tam Patris , quam Filii , et Spiritus Sancti Divinitatem fassos fuisse. Ita igitur D. Justinus Apol. 2. *Filium , et Spiritum Propheticum colimus , et adoramus. , et Deum solum adoramus.* Ita quoque Athenagoras in Apol. pro Christianis : *Quis non miretur , cum audiat , nos , qui Deum Patrem precamur , et Deum Filium , et Deum Spiritum Sanctum, Atheos vocari*? Ita quoque D. Ire-

naeus, l. 41. c. 37. *Adest enim ei semper Verbum, et Sapientia Filius, et Spiritus Sanctus, per quos, et in quibus omnia libere., et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens: Faciamus hominem etc.* Ita quoque Tertull. l. adv. Praxeam c. 25. *Connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est: Ego, et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.* Ita quoque D. Cyprianus ep. ad Jubajanum: *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?* Ita quoque D. Dionysius Alexandrinus tum in resp. ad propositiones Pauli Samosateni, tum in sui Apologia, quam ad Rom. Pontificem misit, quam cum D. Basilius non legisset, ideo eum ep. 51. in suspicionem vocavit. Ita demum D. Gregorius Thaumat. in professione fidei, quam cap. ant. retulimus; ac omnes deinde PP., praesertim qui data opera adversus Macedonianos, aliosque haereticos Spiritus Sancti Divinitatem negantes, scripserunt, ut D. Athan. ep. ad Serap., D. Basilius, et D. Ambrosius in libris de Spiritu Sancto, aliique.

Probatur 5.° ex definitione Ecclesiae.

Quibus positis, merito, optimoque jure Concilium Nicaenum I, definiit, *se credere in unum Deum, Patrem Omnipotentem. . . Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, . . Et in Spiritum Sanctum.* Concilium vero Constantinopolitanum *I.* addidit ob exortam Macedonii haeresim: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre, et Filio simul adorandum, et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Et in epistola Synodica, quam centum, et quinquaginta Patres Graeci, quos inter aderat D. Gregorius Nazianzenus, scripserunt ad Episcopos Occidentis, *Verbum verae fidei* (dixere) *nos docet, credere in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; hoc est in Divinitatem, potentiam, et substantiam unam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti in tribus perfectis personis: adeo ut neque quidquam loci detur Sabellii haeresi, qua confunduntur personae, hoc est, proprietates tolluntur;*

neque blasphemiae Eunomianorum, *Arianorum*, *aut eorum*, *qui Spiritum Sanctum oppugnant*, *quae quidem essentiam*, *naturam*, *sive divinitatem discindit*, *et Trinitati*, *quae increata*, *et consubstantialis*, *et coaeterna est*, *naturam posterius genitam, aut creatam*, *aut quae sit alterius essentiae*, *inducit.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod nullibi Scripturarum Spiritus Sanctus appellatur Deus; quodque in iis non semel Pater tantum, et Filius, nulla Spiritus Sancti mentione facta, nominantur. Neutrum porro esset, si unus cum Patre, et Filio Deus foret: Non ergo Deus.

R neg. maj. quoad 1.^{m}; falsum namque esse, quod Spiritus Sanctus nullibi Scripturarum appelletur Deus, ex ostensis supra evidenter liquet. Quoad alterum vero, utique in Scripturis nominatur interdum Pater, et Filius, nulla Spiritus Sancti mentione facta. Sed 1.° aliis in locis simul cum Patre, et Filio nominatur etiam Spiritus Sanctus, ut in forma a Christo praecepta Matth. ult. baptizandi omnes *in nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*; in fine ep. 2. ad Cor., qui sic habet: *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, *et charitas Dei*, *et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*; etiamque alibi, 2.° rationem reddidimus c. ant. resp. ad 2.; cur Scriptores Sacri modo tres Divinas Personas distincte exprimunt, modo duas tantum, modo unam dumtaxat, eamque vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum.

Objic. 2.° varii Evangelii textus; ut ubi Matth. 3. Spiritus Sanctus annumeratur creaturis illis verbis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, *et igni*. Et c. 21, ubi innuitur, quod Patrem non comprehendit, illis verbis: *Nemo novit Patrem, nisi Filius*. Legitur quoque Jo. 1., quod *omnia per Verbum facta sunt*, ideoque et Spiritus Sanctus, qui proinde habendus est de rerum creatarum numero. Et c. 6., quod locuturus non esset a semetipso, *non enim* (ait de eo Christus) *loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet*, *loquetur*. Et c. 15., quod cum Christus missurus esset, ait enim: *Cum venerit Paraclitus*, *quem Ego mittam vobis a Patre*, etc. Si autem creaturis annumeratur, si Patrem non comprehendit,

si caeteris rebus creatis accensetur, si a semetipso locuturus non erat, si demum dicitur missus, profecto non Deus: Non ergo Deus.

R. neg. cons.; quoad 1.m enim, non jam Spiritus Sanctus annumeratur creaturis, sed, ut explicat D. Chrysost., *ignis commemoratione adjuncta Spiritus Sancti efficacitas signatur*, ac praedicatur de eo, quod est et Sanctus, et igneus, ac igniens: *Quasi ignis enim* (ut pergit Alapide in hunc locum) *fideles a peccatis expurgat, illuminat, accendit, sursum ad Coelum rapit, et roborat, ut omnia adversa superent. Demum eos intime sibi unit, et quasi ignis in se transformat*, *juxta illud Deut.* 4. *Deus tuus ignis consumens est.*

Quoad 2.m, nemo quidem ex allatis Christi verbis Patrem comprehendit, nisi Filius; at non item Spiritus Sanctus, ut patet ex 1. ad Cor. c. 2., ubi Spiritus Sanctus dicitur *scrutari etiam profunda Dei*, ea scilicet etiam, quae creatis mentibus investigabilia sunt.

Quoad 3.m, ex eo, quod per Verbum facta sunt omnia, sequitur quidem, quod omnia, quae facta sunt, per ipsum facta sunt; non vero, quod Spiritus Sanctus sit ex eorum numero, quae facta sunt, secus probaret, Patrem quoque factum esse per Verbum. Hinc ipse D. Joannes pergit: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

Quoad 4.m demum, et 5.m, aliud per objecta verba non significatur, quam Spiritus Sancti a Patre, et Filio processio: *Non loquetur a semetipso* (ita apposite D. Aug. tr. 99 in Jo.), *quia non est a semetipso* (per processionem scilicet, non per creationem); *quo sensu Dominus dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Audire illi scire est, scire vero essentia . . A quo illi est essentia, ab illo scientia. Ab illo igitur audientia.* Additque: *Nec moveat, quod verbum futuri temporis positum est* (*audiet*), quasi Christus locutus fuerit, non de scientia, quam Spiritus Sanctus ab aeterno habeat, sed de scientia, quam per futuram revelationem adepturus esset. *Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem, quod sempiternum est, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive praeteriti, sive praesentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis*

enim Natura illa immutabilis non recipiat fuit , et erit , sed tantum est , tamen propter mutabilitatem temporum , in quibus versatur nostra mortalitas , et nostra mutabilitas , non mendaciter dicimus et fuit , et erit , et est. Quo etiam sensu intelligendum est , dum dicitur mitti a Patre , et Filio , quia nempe procedit ab utroque.

Hinc utraque , et audientia scilicet , et missio , concipienda non est per modum dependentiae , exigentiae , inferioritatis , ac ita ut aliquid imperfectionis praeseferat , cum non aliud significet , ut advertimus quoque c. ant, resp. ad 4. , quam originem , seu ordinem unius personae respectu aliae , quae tamen unum sunt , seu unus Deus.

Objic. 3.° illud Ap. ad Rom. 8. , quod *Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et 1. ad Cor. 2. , quod *omnia scrutatur.* Et ad Eph. 4. , quod *contristatur.* Postulare autem significat dependentiam ; scrutari vero , et contristari ignorantiae, et passionis sunt argumentum ; quae in Deum cadere nequeunt : Non ergo Deus.

R. neg. cons. ; quoad 1.m enim , dicitur, quod Spiritus Sanctus postulat pro nobis , quia postulare nos facit , ut communiter explicant Doctores ; ex quibus D. Aug. ep. 105. , et D. Chrysost. , qui hom. 14. in ep. ad Rom.°, per Spiritum postulantem , ait , intelligendum esse donum orationis. Idque confirmatur ex verbis immediate antecedentibus : *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram , nam quid oremus , sicut oportet , nescimus.* Dicitur vero , quod omnia scrutatur, quia de omnibus certam habet , perspectam , intimamque notitiam , eoque sensu , quo et Ps. 7. v. 10. , et Jer. 11. v. 20. , et Apoc. 11. v. 23. dicitur Deus *scrutari renes , et corda* : idque ex verbis immediate subsequentibus satis colligitur , subdit namque Ap. , quod omnia scrutatur , *etiam profunda Dei* , idest , ut diximus, ea etiam, quae de Deo impervia prorsus , et investigabilia creatis mentibus sunt. Dicitur demum , quod contristatur , non tamen proprie , sed per metaphoram , eoque sensu , quo Deus Gen. 6. dicitur *tactus dolore cordis intrinsecus* , et Ps. 77. exacerbatus , et concitatus ad iram. Qua super re consulantur , quae diximus l. 2. ubi de Immutabilitate Dei.

Objic. 4.° Spiritum Sanctum passim in Scripturis Dei donum appellari, ut ad Rom. 5. illis verbis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris , per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis.* Nulla autem res esse potest sui ipsius donum : Si igitur Dei donum , hoc ipso non Deus.

R. dist. min. ; quod nulla scilicet res esse potest sui ipsius donum hoc sensu , quod nequit se sibi ipsi dare ; donatio enim sonat quid relativum inter duos , quorum unus sit donans , alter donatarius ; non vero hoc sensu , quod nequeat se alteri dare. Hoc autem sensu Spiritus Sanctus dicitur Dei donum , et Christus , dicitur ab Apostolo , quod dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

Objic. 5.° , veteres fideles neque etiam Spiritum Sanctum agnovisse , quemadmodum constat ex c. 19. Actuum , ubi legitur , quod cum D. Paulus eos interrogasset , an recepissent Spiritum Sanctum ? *Neque etiam* (responderunt) , *si Spiritus Sanctus est , audivimus.* Concilium Nicaenum vero , immo ipsum Concilium Constantinopolitanum neutrum quoque, Spiritum Sanctum verum , ac summum esse Deum , expressis verbis declaravit. Incredibile autem est , quod si revera esset Deus , veteres illi fideles neque etiam ipsum agnovissent ; quodque Patres Nicaeni , eoque magis Constantinopolitani , qui illuc convenerant ad adstruendam adversus Macedonium Spiritus Sancti dignitatem , in Symbolo fidei , publica scilicet , ac integra fidei Catholicae professione , Patrem dixissent Deum , Filium quoque Deum verum de Deo vero , quin idem assererent de Spiritu Sancto , si haec fuisset Ecclesiae tunc temporis fides : Non ergo haec vetus Ecclesiae fides ; nec proinde Spiritus Sanctus verus, ac summus Deus credendus est.

R. neg. maj ; quoad 1.^m enim ab ipso Apostolorum aevo omnibus fuisse propositam fidem in Spiritum Sanctum , nec umquam sine hac alicui ministratum fuisse Baptismum , ex ipsa Baptismi forma luculenter patet : ac ideo veteres illi fideles , de quibus Actuum 19. fit sermo , responderunt Paulo , quod neque si Spiritus esset , audierant , quia baptismo dumtaxat Joannis baptizati fuerant , non baptismo Christi : quare , ut hoc baptizarentur , Apostolus jussit.

Quoad 2.m , ideo Patres Nicaeni expresse non defi-

nierunt Spiritus Sancti Divinitatem, quia tantum adversus Arii impietatem convenerant; utque addit D. Basilius ep. 78., *propterea quod nondum mota fuerat ista quaestio, sed adhuc credentium mentibus securus, ac nullus objectus insidiis inerat de Spiritu Sancto intellectus.*

Quoad 3.m, denique, luce meridiana clarius credendam omnibus proposuere Patres Constantinopolitani Spiritus Sancti Divinitatem, jubendo omnibus, ut profiterentur, se *credere in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre, et Filio simul adorandum, et conglorificandum.* Quod deinde epistola Synodica fusius etiam, ac luculentius declaravere.

Objic. 6.a, quod IV. saeculo non idem, quod postea, Trisagium in usu erat, sed *Gloria Patri, et Filio in Spiritu Sancto.* Quidnam autem inde pronum est inferre, nisi veteribus illis Ecclesiae saeculis eamdem quoque non fnisse de Spiritu Sancto fidem? Novum ergo, ideoque falsum, quod modo creditur de Spiritu Sancto.

R. neg. maj.; testatur enim D. Basilius l. 1. De Spiritu S. c. 29., quod et quarto saeculo, et tribus etiam prioribus saecûlis usitatissimum fuit in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali Trisagium: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*; seu *cum Spiritu Sancto*: advertens quoque S. Doctor c. 27., quod tam praepositio *cum*, quam conjunctio *et* idem significant. 2.° neg. min.; ut enim probat laudatus S. Doctor, utraque praepositio *in*, et *cum* eamdem quoque significationem habent; utque consideranti fit perspicuum, utraque consubstantialitatem Divinarum Personarum denotat.

Objic. 7.° quod Spiritus Sanctus vel dicitur genitus, vel ingenitus. Non autem genitus, quia negatur esse Filius; neque etiam ingenitus, quia negatur esse Pater: Ergo aliquid aliud, ideoque creatura. Cui accedit, quod si dicitur procedere a Patre, a quo procedit et Filius, Filius, et Spiritus Sanctus fratres sunt: si a Filio, erit Spiritus Sanctus Dei Patris nepos; si ab utroque, utriusque Filius dicendus erit. Cuncta autem haec negantur: Figmentum igitur.

R, neg. maj.; nam quoad 1.m inter genitum, et ingenitum datur medium, scilicet alio modo procedens,

quam per generationem. Quoad alterum vero, explicabitur; infra, quo fieri poterit modo, cur processio Filii a Patre sit generatio; processio autem Spiritus Sanctis a Patre, et Filio sit simplex processio. Caeterum cum monuerimus cap. 1., Augustissimum Trinitatis Mysterium illud praesertim esse, quod omnem nostrae mentis aciem supergreditur, ejus proinde respectu meminisse praesertim debet fidelis, brevitate humani intellectus metiendum non esse, sed in captivitatem illum redigere oportere in obsequium fidei, ut monet Ap. 2. ad Cor. c. 10., eumque cohibere, ne se extollat adversus scientiam Dei: *Meminerimus* (ita apposite D. Hilarius l. 7. de Trin.) *humanas comparationes Divinis non satisfacere exemplis.*

Objic. 8.° quod tum D. Basilius, tum D. Hilarius non habuerunt Spiritum Sanctum, ut verum Deum: quoad 1.m enim expresse videtur ejus Divinitatem negare hom. 17., quae est in S. Baptisma, illis verbis: *Neque igitur alienus est a gloria Dei Spiritus ex ineffabiliore ineffabiliter prolatus; neque ipse Deus est, sed Dei Spiritus, et apud Deum.* Cui accedit, quod in festo S. Eupsychii orationem Caesareae habens anno 370. coram Episcoporum conventu, fuse disseruit de Patris, ac Filii Divinitate, et nihil fere ait de Spiritu Sancto. Quoad alterum vero, quia in duodecim de Trinitate libris ne semel quidem legitur, quod Spiritum Sanctum appellet Deum.

R. negando utrumque; 1.° enim D. Basilium recte de Spiritu Sancto sensisse, ex innumeris ejus testimoniis constat: ut ex hom. 27. cont. Sabell., ubi: *Neque Trinitas manet Trinitas, detracto Spiritu: et si unum aliquid ex creaturis adjungatur, universa creatura simul introducetur, et Patri, Filioque annumerabitur.* Ex ep. 60., ubi cum dixisset, ut supra scripsimus, quod ideo Synodus Nicaena fidem in Spiritum Sanctum habendam non declaraverat, quia nondum circa eam mota fuerat quaestio, subjungit: *Nihil prorsus in Divina, ac beata Trinitate creatum adinvenitur.* Et ep. 76., ubi anathematizat eos; *qui Spiritum Sanctum creaturam esse dicunt; et eos, qui id cogitant, et qui non confitentur illum natura sanctum esse, sicut natura Sanctus est Pater, et natura Sanctus est Filius, sed alienum illum a Divina, et beata Natura faciunt. Est autem declaratio recti sensus in*

eo, si a Patre, et Filio non separetur. Ac demum tum in Tract. ad Amphilochium, tum l. 3. contra Eunomium Spiritus Sancti Divinitatem diserte tradit, et contra haereticorum blasphemias tuetur. Quod vero eum loco citato non appellet Deum, sed *Dei Spiritum*, movere non debet: cum enim fidem ejus Divinitatis expresse profiteatur aliis in locis, eumque etiam appellet Deum tum hom. 141, ubi: *Confitendum est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum*, tum albi; dum proinde illic eum appellat, non Deum, sed *Dei Spiritum*, nomen *Dei* dicendum est, non aliter usurpare, quam *notionaliter*; ejusque sensum esse, quod Spiritus Sanctus, quatenus Persona, non est nec Pater, nec Filius, sed subsistens, ac Personalis utriusque Spiritus; eoque magis, quia alienum non esse a Dei gloria, ibidem fatetur. In festo demum S. Eupsychii praefato modo se gessit, quia cum ejus tempore Imperator impense haereticis faveret, ac toto conatu hi quaererent Episcopos catholicos e suis sedibus expellere, eorumque loco haereticos Episcopos intrudere, non satis lacrymabili Ecclesiae malo; opportunum S. Doctor ob hanc temporum catastrophen censuit in aliquibus circumstantiis, non quidem fidei contradicere, sed insidias evitare silentio; idque donec non cognovit, quod ejusmodi silentio scandalum apud nonnullos pareret: tunc enim, nullo amplius habito respectu, Spiritum Sanctum expressis verbis Deum praedicavit, ut ep. 97., et 98.

Ideo vero D. Hilarius in duodecim de Trinitate libris Spiritum Sanctum expressis verbis non appellat Deum, quia in iis data opera de Filii Divinitate agit contra Arianos, et quia Divinitas Spiritus Sancti nondum aperte fuerat impugnata. Quod recte tamen de eo senserit, patet tum ex ipsis ejus libris, ubi Spiritum Sanctum Patri, et Filio adjungit, tamquam iis in potestate aequalem; tum ex aliis ejus textibus, pro quibus sufficiat quod scribit in Commentariis in Matth. c. 33. *Baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut quorum est una Divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus est.*

TRACTATUS II.

De adnexis Trinitatis Mysterio.

Sunt Trinitati adnexa non pauca, quae ad Divinas processiones, relationes, notiones, missionem unius Personae ab alia, ac unius in alia immanentiam pertinent. De quibus proinde acturi, sit

CAPUT I.

De existentia, principio, ac numero Divinarum Processionum.

Quid sibi velit processio, ex sese intelligitur, quod nempe *est origo, seu productio alicujus rei ab alia.* Duplex autem distinguitur; transiens scilicet, seu ad extra, et immanens, seu ad intra. Illa est, *cujus terminus extra principium constituitur.* Haec vero, *cujus terminus in ipso manet principio.* Nec non distinguitur in imperfectam, et perfectam. Illa est, *cujus terminus vel non est quid subsistens*, ut in nobis verbum mentis, *vel si subsistens sit, dependentem tamen, ac diversam, saltem numero, habet a principio producente naturam*, ut in creatis filius a patre. Haec vero, *cujus terminus est subsistens, ac unius ejusdemque naturae, seu substantiae cum principio, a quo emanat, seclusa omni diversitate, mutabilitate, aut dependentia.* Hujus porro generis esse dicimus Divinas Processiones; quod enim hae in Deo dentur, sintque non jam transeuntes, sed immanentes, ac seclusa quavis imperfectione, sed perfectissimae, nemo praeter haereticos, qui Trinitatem Divinarum Personarum in unitate essentiae credere detrectant, in dubium vel vocat, vel vocare potest.

Quodnam vero sit earum principium, non parum Thologorum ingenium exercuit. Circa quod praemittendum, processionem unius Personae ab alia necessario connecti cum ordine, seu relatione unius ad alteram; quem in Deo ordinem, seu relationem unius Personae ad alteram, Patris nempe ad Filium, et Filii ad Patrem, ac Patris, et Filii ad Spiritum Sanctum, et Spiritus Sancti ad Patrem, et Filium, absit, quod concipiamus, tam-

quam accidens ; ut enim disserit D. Aug. l. 5. De Trinit. c. 5. *In Deo nihil secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est.* Et paullo infra : *Pater, et Filius non secundum accidens ita dicuntur, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum, atque incommutabile est eis.* Praeclare etiam Arnobius junior in conflictu cum Serapione : *Deus immutabilis est, et permanens ; nihil in se recipit novum, semper enim fuit et Deus, et Pater, nec illi hoc nomen paternitatis accessit : quoniam omne, quod accidens est, recedere potest; et quod recedere potest, etiam deficere potest. Divinitas autem, quae immutabilis perseverat, nihil in se ex accidenti aliquo recipit, hoc enim est hodie, quod semper fuit.* Sunt proinde relationes illae personales, Paternitatis scilicet in Patre, Filiationis in Filio, Spirationis activae in Patre, et Filio, ac Spirationis passivae in Spiritu Sancto, totidem proprietates essentiales, subsistentes, ac sub omni respectu verae, et reales, unde jubet Ecclesia, *ut in confessione verae, sempiternaeque Deitatis et in Personis proprietas, et in Essentia unitas, et in Majestate adoretur aequalitas.*

Gradum modo ad principium Divinarum processionum faciamus. Duplex a Theologis distinguitur actionis principium in quovis agente; unum nempe ab iis appellatum principium *quod*, seu etiam *denominationis* ; estque *ipsum suppositum agens*, ut enim fert vulgare effatum, *actiones sunt suppositorum* : aliud vero ab iisdem appellatum principium *quo* ; estque *virtus, facultas, potentia, per quam suppositum agit :* quodque subdistinguitur in principium *quo remotum*, et in principium *quo proximum* ; quorum primum dicitur *natura, cui inest praefata virtus, facultas, potentia* ; alterum vero *ipsa virtus, facultas, potentia illum actum producendi.* Haec tamen potentia si in creatis est per modum simplicis potentiae ad actum, absit, ut hoc modo in Deo etiam concipiatur ; cum enim Deo nulla umquam superveniat mutatio, in eo proinde concipienda est per modum potentiae ad terminum, quae scilicet, nullo superveniente actu ex parte principii, dat termino aut existentiam, aut perfectionem, qualis est potentia Mundum procreandi, et in Patre sempiternum Filium gignendi ; cum hoc discrimine, quod ejusmodi potentia ad terminum extrinsecum, et creatum infert in hoc finitatem, ac dependentiam ; ad

terminum vero intrinsecum, ac tantum procedentem, infert in termino solam relationis originem.

His porro praemissis, extra controversiam est, principium *quod* Divinarum processionum esse Personam Patris respectu Filii, ac Patris, et Filii Personas respectu Spiritus Sancti: Sicut etiam extra controversiam est, principium *quo*, saltem remotum, esse Naturam Divinam: 1.° quia haec per se postulat communicari a Patre cum Filio, et ab utroque cum Spiritu Sancto; sive, ut ait D. Dionysius Alex. ap. D. Athan. in ep. de ejus sent., *in Trinitatem dilatari*. 2.° quia ipsa est *Divinae unitatis opulentia*, *et copiosa magnitudo*, ut loquitur D. Aug., quae tribus hypostasibus continetur. Quaestio igitur versatur, an haec sit principium *quo proximum* Divinarum Processionum per se, et immediate, vel potius mediate, per intellectum scilicet, et voluntatem? Cumque intellectus in Filio, et Spiritu Sancto, licet unus, idemque cum intellectu Patris, alium non producat Filium, nec voluntas in Spiritu Sancto, licet una, eademque cum voluntate Patris, et Filii, alium producat Spiritum Sanctum; quaeritur item, quidnam proprium, ac speciale habeat intellectio Patris, ut sola Filium gignat; ac voluntas Patris, et Filii, ut sola Spiritum Sanctum producat. A qua quidem quaestione nullo negotio se expedit Durandus, ipsam Divinam Naturam, inquiens, quatenus est foecunda, et infinita, non vero, quatenus est intelligens, et volens, esse principium *quo* proximum, et immediatum Divinarum processionum. Alii vero, quos inter D. Bonaventura, inquiunt, earum principium *quo* proximum, et immediatum esse relationes originis. Alii demum communius, istud principium *quo* proximum Divinarum Processionum, inquiunt, esse intellectum, et voluntatem, quatenus adjunctas habent relationes paternitatis, et spirationis activae, velut meras conditiones, quin scilicet habeant vel ipsam comprincipii rationem: sub quo respectu intellectus Patris vocatur ab iisdem intellectus notionalis, quo etiam modo vocatur sub eodem respectu voluntas Patris, et Filii, intellectio vero Patris vocatur *dictio*, et volitio Patris, et Filii vocatur *spiratio*. Hinc etiam pergunt, activas productiones Personarum non esse praecise intellectionem, et volitionem, seu *intelligere*, *et velle*, sed *dicere*, et *spirare*; qui quidem actus non sunt essentiales, sed notionales, nec proin-

de conveniunt toti Trinitati, sed certis tantum Personis; et includunt quidem actus essentiales intellectionis, et volitionis, sed praeterea includunt etiam quid amplius, relationem nempe personae producentis ad personam productam.

Quoad numerum vero Divinarum processionum, duas tantum esse, docet fides, quemadmodum duae tantum sunt Personae procedentes. Easque, ut supra diximus, negarunt prorsus quotquot Divinarum Personarum Trinitatem negarunt: auxerunt e contrario Valentiniani, qui, Valentino duce, delirarunt, ex *Bytho*, seu Patre aeterno, non sine substantiae partitione, prolatos fuisse triginta *Aeonas*, quos vocabant *Pleroma*; atque hos conjugio sibi copulatos, alios, atque alios, *Probolas* ab ipsis vocatos, genuisse. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Dantur in Deo processiones ad intra, seu immanentes. Est de fide.

Prob. Quod enim in Deo detur vera, et proprie dicta processio patet 1.° ex Scripturis, ut Ps. 2., ubi de Christo dicitur: *Ego hodie genui te.* Et Ps. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Et Micheae 5. *Egressus ejus ex diebus aeternitatis.* Et Jo. 8. ipse Christus ait: *Ego ex Patre processi, et veni.* Et Jo. 15. inquit: *Cum venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, etc.* Ac 2.° patet ex ostensis tract. ant. de Trinitate Divinarum Personarum Patris, Filii, et Spiritus Sancti. Filius autem a Patre, Spiritus a Spirante procedit: En igitur, quod in Deo datur vera, et proprie dicta processio. Sive ut aliter argumentum promamus, existunt tres Personae Divinae realiter inter se distinctae. Ejusmodi autem distinctio ex sola processione unius ab alia oriri potest; cum enim sint unius, ejusdemque numero naturae, seu substantiae, et unus Deus, dici nequit, quod distinguantur quoad naturam, et substantiam, nec proinde aliud dicendum superest, quam quod distinguantur ratione processionis, quatenus nempe una ab alia procedat: Quod ergo in Deo haec detur processio, consequens est. Quod vero processio tam Filii, quam Spiritus Sancti, non sit transiens, sed immanens, sequitur quoque ex ostensis tract. ant., quod nempe dum Pater, Filius, et Spiritus Sanctus realiter distinguuntur inter se, quatenus Personae, unam simul habent, eamdemque numero naturam, essentiam,

substantiam ; per quod significatur , quod terminus processionis non constituitur extra principium , sed in ipso manet principio. Haec autem dicitur processio immanens : Patet ergo propositum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Deus est Ens a se. Si autem Persona Divina procederet , hoc ipso esset Ens ab alio , et non a se : Nulla ergo in Deo datur processio. Sive , ut paullo aliter argumentum proponamus , quod est primum principium non potest ab alio procedere , quia secus non esset primum. Deus autem est primum principium : Non ergo potest ab alio procedere.

R. dist. maj. ; quod nempe est Ens a se quoad Naturam ; quoad Personas vero , est utique Ens a se hoc sensu , quod nulla Persona Divina causatur , vel dependet ab alia ; non vero hoc sensu , quod nulla Persona Divina originem ab alia non habeat ; ab alia enim non habet originem Persona Patris , non vero Persona Filii , et Spiritus Sancti. Hinc et distinguitur minor; quod nempe in Divinis Persona procedens esset Ens ab alio , si procederet quoad Naturam , vel tamquam a causa , et cum dependentia ; non vero cum procedat solum quoad Personam , ac tamquam a principio , et absque ulla dependentia. Primum , quia si procederet quoad naturam , natura etiam ab ejus principio distingueretur , ut productum a producente; ideoque non esset Deus , cum duo Dii repugnent. Alterum vero , quia distinguendum est inter principium , et causam ; de ratione enim causae est , quod efficiat , ut aliud actu existat ; ex quo sequitur , et quod habeat naturam ab effectu , saltem numero, distinctam ; et quod id , cujus dicitur causa , transeat a potentia ad actum ; et quod istud ab ea quoad actualitatem pendeat. De ratione vero principii est dumtaxat, quod id , cujus dicitur principium , originem ab eo habeat. Istud autem et unum esse potest cum ejus principio , quemadmodum intellectio , et volitio non est , nisi Anima intelligens , et volens ; et simul cum eo esse potest tempore , quemadmodum lux simul est tempore cum Sole ; et demum hoc ipso , quod sit quid simultaneum cum principio , nullatenus quoque ab eo potest quoad actualitatem pendere. Quod in Divinis ex eo

etiam manifeste sequitur, quod processio unius Personae ab alia non est libera, sed ex Naturae Divinae necessitate, de cujus perfectione est, ut Pater nequeat Filium intelligendo non gignere, nec Pater, et Filius sese amando Spiritum Sanctum non producere: quare et utraque aeterna est, ac Deo ipsi coaeva; itemque est ratio, cur inter Personam procedentem, ac eam, a qua procedit, mutua sit connexio, mutua existentia, ac infrustrabilis, aequalis, et absoluta existendi necessitas.

Ad id vero, quod additum est, resp. dist. maj.; quod nempe primum principium simpliciter, tam scilicet ad extra, quam ad intra, non potest quidem ab alio procedere; non vero primum principium tantum ad extra. Porro tres Divinae Personae sunt omnes primum principium ad extra; sed solus Deus Pater est primum principium simpliciter, tam scilicet ad extra, quam ad intra, non item Filius et Spiritus Sanctus.

Inst. Processio unius Personae ab alia significat, quod una communicet alteri suam Naturam. Quod cum ita sit, ea quoque significat originem unius ab alia quoad ipsam Naturam: Si igitur Persona Divina procederet, esset Ens ab alio quoad ipsam Naturam.

R. neg. sequ. min.; non enim vox *communicatio* originem, et processionem ex se significat. Porro Naturam Divinam communicari dicimus Filio, et Spiritui Sancto, sed non propterea dici debet, eam esse ab alio; quia haec loquendi ratio originem, productionem, seu processionem ab alio designat, certumque est, Divinam essentiam ab alio non procedere, nullamque sui originem habere. Quod si humanis exemplis difficile est declarare, *meminerimus* (ut alibi etiam cum D. Hilario monuimus), *humanas comparationes Divinis non satisfacere exemplis* (*l. 7. de Trinit.*).

Inst. Vox *communicatio* significat profecto, quod is, qui naturam suam alteri communicat, illo sit prior. Praescindendo autem, quod in Deum cadere nequit prius, et posterius, si profecto significat, quod is, qui naturam suam alteri communicat, illo sit prior, en quoque significat originem, et processionem unius ab alio quoad ipsam Naturam: Si igitur Persona Divina suam alteri Naturam communicaret, daretur quoque processio unius ab alia quoad ipsam Naturam.

R. dist. maj.; quod nempe vox *communicatio* si-

gnificat, quod is, qui Naturam suam alteri communicat, illo sit prior, si illam alteri communicet libere, et per modum causae; non vero, ut est in Divinis, illam alteri communicando ex naturae necessitate, et per modum principii. Quoad illud vero, quod additum est, nequit quidem in Deum cadere prius, et posterius sive naturae, sive temporis, sive dignitatis. Non naturae, quia Persona, quae est principium alterius, non est ejus causa. Non temporis, quia non extitit ante Personam procedentem. Non dignitatis, nam simul tres sunt unus Deus, nec minus perfectum, ac dignum est in Deo esse Filium, quam esse Patrem. Prius autem, et posterius tantum ratione originis, utique dicitur de Divinis Personis, nec ullam prorsus in sua notione imperfectionem involvit.

Inst. Ubique idea processionis imperfectionem involvit, nam saltem ideam involvit partitionis naturae, secus enim quemadmodum una, eademque esset natura, ita una, eademque esset persona. Quod cum ita sit, procul quoque a Deo dicendum est ipsum prius, et posterius ratione originis, et processionis: Figmentum ergo hae in Deo processiones.

R. dist. maj.; quod nempe idea processionis ideam involvit partitionis naturae, si haec sit partibilis, non vero, cum haec impartibilis sit, et simplicissima, cujusmodi est juxta id, quod docet fides, Natura Divina. Nec verum est, inde sequi, quod sicut una, eademque est natura, ita una, eademque esset persona, cum alia sit naturae, alia personae idea, quemadmodum et l. 2. ubi de Dei unitate, et hoc lib. c. 4. resp. ad 6., quantum satis est, declaravimus.

Objic. 2.°; quod Persona Divina verus est Deus. Deus autem nullum sui agnoscit principium: Neque igitur Persona, quae sit Divina, ullum agnoscere potest principium, ideoque procedere.

R. neg. cons.; est namque argumentum merum sophisma; in quo vox *Deus* in prop. maj. sumitur pro persona, in min. vero sumitur pro natura, seu Essentia Divina; ex quo sequitur, quod argumentum quatuor terminis constat contra rationem recti syllogismi. Hinc etiam in eo distingui potest prop. minor, quod Deus nempe nullum sui agnoscit principium ratione naturae, non vero item ratione personae.

Objic. 3.°, quod quomodocumque concipiatur processio, locum prorsus in Deo habere non potest. Vel enim esset ab esse ad esse, vel a non esse ad esse. Primum autem pugnat cum processionis idea, immo contradictionem implicat, si enim id, quod procedere dicitur, est, jam non procedit, ideoque procedit simul, et non procedit. Alterum Deitati non convenit, cujus esse est aeternum. Accedit, quod ut Filius dicatur procedere a Patre; ac Spiritus Sanctus a Patre, et Filio, debet in Filio, ac Spiritu Sancto assignari aliquid, quod vere producatur. Nihil autem ejusmodi assignatur. Non essentia; cum de ea dicatur, quod nec generat, nec generatur, nec producit, nec producitur. Non Persona Filii, vel Spiritus Sancti, cum de utraque dicatur semper fuisse, dum e contrario, quod productum dicitur, supponitur non fuisse, antequam produceretur. Nulla ergo in Deo admittenda est processio.

R. neg. maj.: quoad 1.m enim cum de Divinis agitur, abstrahenda mens est a rebus creatis, quarum existentia cum non sit necessaria, sed contingens, earum productio idcirco est transitus a non esse ad esse, e statu scilicet possibilitatis ad statum actualitatis. In Divinis autem processio unius Personae ab alia neque est a non esse ad esse, neque ab esse ad esse. Non 1.m quia quidquid est absolute necessarium, quomodo est quidquid in Deo est ad intra, nequit umquam non esse. Non alterum; quia non praesupponitur suae processioni, sed esse illius est procedere a principio, cum quo est quid unum in natura.

Quoad alterum vero, neg. min.; dicimus namque, quod in processione tam Filii a Patre, quam Spiritus Sancti a Patre, et Filio, natura quidem communicatur tantum, sed persona vere producitur. Id vero, quod productum dicitur, supponitur non fuisse, antequam produceretur, si productum fuerit in tempore, non vero si productum fuerit ab aeterno; quales utique esse processiones Divinas, juxta fidem profitemur.

Objic. 4.°, quod si Pater genuit Filium, hunc vel nolens, vel volens genuit. Neutrum autem dici potest: Non 1.m, quia illum invitus, et coactus genuisset. Non alterum, quia hoc ipso quod Filius libere genitus, esset quoque de numero caeterorum filiorum per adoptionem, de quibus D. Jacobus inquit: *Voluntarie genuit*

*

nos. Simili etiam modo argui potest super processione Spiritus Sancti : quare exulare a Deo debet nomen processionis.

R. 1.° neg. maj. ; neque enim nolens, nec volens, nec coacte, nec libere Pater genuit Filium, sed naturaliter, ac necessario, quemadmodum naturaliter, et necessario est omnipotens, bonus, etc. 2.° utique etiam dici posse, quod illum volens genuerit, non quidem quasi voluntas fuerit principium Divinae ejus generationis, sed quatenus mirabilis illa generatio infinite ipsi complacuit.

Objic. 5.° illud Christi effatum, ut refert Apostolus Actuum 13. *Beatius est magis dare, quam accipere*. Positis autem in Deo processionibus, Persona procedens Naturam ab ea acciperet, a qua procederet : Ergo et haec altera esset beatior, seu perfectior.

R., praefatum Christi effatum intelligendum esse, ubi datio sit ex liberalitate dantis, et cum dependentia ex parte accipientis; non vero ubi sit, prout in Divinis, ex naturae necessitate, et absque ulla dependentia, ut non semel diximus. Hinc in relata verba *D*: Aug. l. 3. contra Maximinum c. 14. *Scriptum est quidem : Beatius est magis dare, quam accipere. Sed in hac vita, ubi est inopia, qua utique melior est copia. Ubi autem, qui dedit, gignendo dedit, et qui accepit, nascendo accepit, non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest, qui accepit, ei qui dedit, esse inaequalis, quia et hoc accepit, ut esset aequalis. Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit, Omnia, quae habet Pater, mea sunt. Aequalis est igitur.*

Prop. II. Principium *quo* proximum Divinarum Processionum dicenda non est Natura Divina. Ita communiter contra Durandum.

Probatur. Et 1.° ex Scripturis, ubi Filius appellatur *Verbum*, ut Jo. 1., et Spiritus Sanctus *Charitas*, ut ad Rom. 8., unde D. Aug. l. 9. De Trinit. c. 12., *sicut Dei Verbum* (inquit) *Filium esse, nullus Christianus dubitat, ita charitatem esse Spiritum Sanctum* : non ita quidem, ut Filius sit Verbum essentiale Patris, quo scilicet Pater constituatur intelligens, quia verbum essentiale Patris est ipsamet intellectio Divina, quae non producitur ; et tribus Personis est communis ; sed ejus Verbum notionale, seu terminus personalis intellectionis Pa-

tris; eo fere modo, quo in nobis verbum non est cognitio nostra, sed terminus per cognitionem productus. Quo etiam modo dicitur Sapientia Patris; non ita scilicet, quasi Filius sit formalis illa Sapientia, qua Pater sapiens est, alioqui Pater haberet a Filio sapientiam, utque arguit D. Aug. l. 7. de Trinit. c. 1., *Filius esset Patris qualitas; non proles; et Sapientia Patrem genuisset, non Pater Sapientiam*; sed quia est terminus personalis sapientiae, seu cognitionis Patris, ejusque nata, et genita Sapientia. Ac similiter Spiritus Sanctus dicitur Charitas, et Amor Patris, et Filii, terminative scilicet, non formaliter. Cum autem praefato sensu Filius dicatur Verbum, et Spiritus Sanctus dicatur Charitas in Scripturis, dicendum quoque est, quod sicut Verbum proxime, et immediate est, non a natura, sed ab intellectu, et sicut Charitas proxime, et immediate est, non a natura, sed a voluntate, ita et Filius proxime, et immediate, non a Natura, sed ab intellectu, et Spiritus Sanctus proxime, et immediate, non a Natura, sed a voluntate procedat; ideoque Naturam Divinam dicendam non esse principium *quo* proximum Divinarum Processionum: Patet ergo propositum.

2.° Ex Conc. Later. IV., ubi contra Abb. Joakimum declaratum fuit, quod *substantia, essentia, sive Natura Divina non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus Sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, et unitas in Natura.* Idem autem dictu est, quod Natura Divina ipsa est principium *quo* proximum Divinarum Processionum, quodque generaret, et generaretur, produceret, et produceretur: Non ergo earum principium *quo* proximum dicenda est.

3.° Quod si Natura Divina esset principium *quo* proximum Divinarum Processionum, idest Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio; inter Naturam Divinam Patris, et Personam Filii; nec non inter Naturam Divinam Patris, ac Filii, et Personam Spiritus Sancti; adesset realis distinctio, prout nempe haec adest inter producens, et productum. Haec autem manifesta est haeresis, nam, hoc posito, tres Personae Divinae, non solum proprietatibus personalibus, sed

etiam natura saltem numero distinguerentur ; unamque essentiam haberent , ut Abbas Joakim ajebat , non vere, et proprie, sed affective, et moraliter; quod nefas dictu : Non igitur Natura principium *quo* proximum Divinarum Processionum.

4.° Aliud proinde argumentum subsequitur , quod nempe quidquid tribus Personis commune est , illarum principium *quo* proximum esse nequit. Natura autem Divina communis est tribus Personis : Non ergo Divinarum Personarum principium *quo* proximum esse potest.

5.° Quod si Natura Divina esset principium *quo* proximum Divinarum Processionum , aeque Filius , ac Spiritus Sanctus ab ea procederet , nec proinde ulla reddi posset ratio , cur processio Filii prior sit origine processione Spiritus Sancti ; cur Spiritus Sanctus a Filio, et non potius Filius ab ipso procedat ; cur processio Filii sit , ac dicatur generatio , et processio Spiritus Sancti non sit generatio , sed simplex processio ; cur demum duae sint ; non vero una, aut plures, immo infinitae in Deo processiones , vel enim infinita foecunditas , quae Divinae Naturae tribuitur , unica processione exhauriretur , vel infinitis numero processionibus ad id opus esset. Quae omnia , licet in aliorum sententia neque etiam , omni obscuritate seposita , declarentur ; quia altitudo Mysterii id non patitur ; aliquo tamen modo declarantur ; ac nemo inficiabitur , iis verisimilius adhaerendum esse , quae eo , quo fieri potest, modo , quam quae nullatenus fidei Mysteria declarant.

Quapropter re ultimum quoque argumentum sit , quod Natura nullius rei est principium *quo* proximum per se , sed per suas facultates. Quod si apud Patres reperitur interdum , eos dixisse , Filium esse de Natura , ac essentia Patris , id ajebant ad confutandam haeresim Arianorum blasphemantium , Filium non de substantia Dei Patris , sed libere ejus voluntate ex non extantibus factum fuisse , nec proinde esse Dei Filium natura , sed adoptione. Hinc etiam quidam ex iis dixere , esse *totum de toto , perfectum de perfecto , integrum de integro* ; ut nempe significarent , quod cum Dei substantia sit simplicissima , totam idcirco, non ejus partem , Pater Filio communicat , qui proinde est Patri

consubstantialis, seu unius, ejusdemque numero substantiae cum Patre, et substantialiter simul.

Prop. III. Principium *quo* proximum Divinarum Processionum neque etiam dicendae sunt relationes originis. Ita saltem communius.

Probatur 1.° ex eo quod principium simile esse debet rei procedenti, cujus nempe dicitur principium. Relationes autem originis, Paternitatis nempe, Filiationis, Spirationis activae, et Spirationis passivae, nedum non sunt similes inter se, verum etiam se mutuo excludunt; quare etiam personae procedentes nedum in iis non assimilantur, verum etiam per eas a se invicem distinguuntur. Non ergo ejusmodi relationes principium *quo* proximum Divinarum Processionum.

2.° Quia relationes praefatae vel sumuntur, tamquam formae hypostaticae, per quas scilicet Personae Divinae constituuntur in ratione talis Personae; vel simpliciter, tamquam relationes. Neutro autem modo dici possunt principium *quo* proximum Divinarum Processionum; primo enim modo sumptae, non sunt, nisi Personarum constitutivum, nec sub tali ratione sunt ex se actuosae, sed si actuosae sunt, id praestant per facultates ipsius suppositi, quod constituunt: altero vero modo sumptae sunt simul natura, et cognitione cum Personis procedentibus, cum e contrario principium praecedere debeat prioritate originis, et cognitionis id, cujus dicitur principium: Quod ergo esse nequeant principium *quo* proximum Divinarum Processionum, consequens est.

3.° Alia etiam succedat, licet praecedenti affinis, argumentatio; quod nempe principium *quo* proximum Divinarum Processionum esse nequit, quod eas supponit, earumque dumtaxat est terminus. Ejusmodi autem sunt praefatae relationes; evidens namque est, quod paternitas supponit generationem Filii, nec in Patre resultat, immo concipi potest, nisi ex generatione ejusdem. Quod et dictum esto de spiratione activa in Patre, et Filio respectu Spiritus Sancti. Praefatas ergo relationes principium *quo* proximum Divinarum Processionum esse non posse, magis, magisque est perspicuum.

Nec facessit, quod ex adverso objicitur; princi-

pium nempe *quo* proximum generationis Filii illud esse debere, per quod Pater constituitur formaliter, et proxime generans. Constituitur autem formaliter, et proxime generans per relationem Paternitatis: 1.° quia per illam constituitur formaliter Pater. 2.° quia relatio Paternitatis est illud tantum, quod in Patre est singulare, ac proprium, nec caeteris Personis commune. 3.° quia sicut posse aliquid essentialiter immediate est ab essentia, ita posse aliquid personaliter immediate esse debet ab eo, quod est personale, quodque in Patre est sola Paternitatis relatio. 4.° quia quod dat esse, dat quoque operari; ac relatio Paternitatis ea est, quae Patri dat esse Patris. Simili etiam modo disserendum inquiunt de Patre, et Filio respectu Spiritus Sancti.

Sed respondetur neg. min.; quoad 1.m enim, Paternitas constituit quidem Patrem in esse personali Patris; quaestio tamen non est de hoc, quod non negatur, sed sit, necne ratio proxima generationis? Quoad 2.m, jam demonstraturi sumus, quod principium *quo* proximum Divinarum Processionum sunt intellectus, et voluntas notionalis, quatenus nempe adjunctas habent praefatas relationes. Est autem intellectus, et voluntas communis quoque aliis Divinis Personis, quatenus essentialiter spectantur sine ulla adjuncta originis relatione; non vero quatenus sunt notionales, seu cum adjuncta originis relatione. Quoad 3 m, improprie dicitur, quod posse aliquid essentialiter immediate est ab essentia; proprie enim loquendo, actiones numquam sunt essentiae, sed suppositi, seu personae. Quoad 4.m denique, id quidem, quod dat esse operativum, dat quoque operari, non vero id, quod simpliciter dat esse.

Prop. IV. Principium *quo* proximum Divinarum Processionum sunt in Deo intellectus, et voluntas, quatenus adjunctas habent relationes paternitatis, et spirationis activae, velut meras conditiones, quin scilicet habeant vel ipsam comprincipii rationem. Ita etiam communius.

Probatur. Et 1.° ex Scripturis, ubi, ut supra diximus prop. 2., Filius dicitur *Verbum*, et Spiritus Sanctus *Charitas*. Verbum autem, ut ibidem quoque diximus, proxime, et immediate est ab intellectu, charitas a voluntate: Intellectus ergo, et voluntas sunt

principium *quo* proximum Divinarum Personarum procedentium, ideoque et ipsarum processionum.

Additum vero est, *quatenus adjunctas habent relationes paternitatis, et spirationis activae* : 1.° quia cum intellectus Patris tantum generet Filium, et voluntas Patris, et Filii producant tantum Spiritum Sanctum, adesse debet ratio, cur intellectus Filii, et Spiritus Sancti alium Filium non generet, ac voluntas Spiritus Sancti non producat alium Spiritum Sanctum. Haec autem alia esse nequit, nisi relatio Paternitatis, quam adjunctam habet tantum intellectus Patris, ac relatio spirationis activae, quam adjunctam habet voluntas tantum Patris, et Filii, caetera enim omnia, utpote absoluta, communia sunt tribus Divinis Personis : Patet ergo propositum. Cui accedit 2.°, quod principium *quo* proximum Divinarum Processionum debet simul esse et simile Personis procedentibus, et ab iis distinctum : simile scilicet, quia principium simile esse debet termino, cujus dicitur principium : distinctum vero, quia principium ab eo etiam, cujus dicitur principium, ita distingui debet, quemadmodum producens a producto. Intellectus autem, et voluntas Divina assimilabitur simul, et distinguetur a Personis procedentibus, quatenus tantum praefatas relationes adjunctas habeant ; quoad intellectum namque, personae ab eo procedenti hic assimilabitur, quinam enim intellectus Dei Patris, nisi ipsius Dei Patris intellectio? Ac quaenam Persona ab eo procedens, nisi Verbum? Intellectio autem assimilatur Verbo, immo est ipsum Verbum. Quoad voluntatem vero, quaenam voluntas Dei Patris, et Filii, nisi ipsius Dei Patris, et Filii volitio? Ac quaenam Persona ab ea procedens, nisi Amor utriusque, idest Spiritus Sanctus? Amor autem non est, nisi quaedam voluntatis spiratio ; seu impulsio in rem amatam : En igitur, quomodo intellectus, et voluntas Divina Personis ab iis procedentibus assimilantur. A quibus simul distinguentur, qnatenus praefatas relationes adjunctas habeant ; ipsarum nempe relationum vi, quae ab invicem distinguuntur. Quare, cum principium *quo* proximum Divinarum Processionum debeat simul esse et simile Personis procedentibus, et ab iis distinctum, et ejusmodi sint intellectus, et voluntas Divina, quatenus praefatas relationes adjunctas habeant, in iis idcirco

ita sumptis statuendum esse principium *quo* proximum Divinarum Processionum, consequens est.

Dictum tandem est, *quatenus illas relationes adjunctas habent, velut meras conditiones; quin scilicet habeant vel ipsam comprincipii rationem*; cum enim relationes non sonent per se quid activum, constituitur enim paternitas, non per se, sed per vim generandi; sicut neque etiam spiratio activa per se se, sed per vim spirandi, hinc relate ad processiones Divinas habere nequeunt comprincipii locum, sed conditionum tantum: adeo ut quemadmodum in humanis nemo operatur per potentias naturae humanae insitas, nisi quatenus haec, una quidem essentialiter in singulis hominibus, in eo tamen determinata est per differentiam numericam; ita in Divinis intelligimus, quod Pater generat Filium per intellectum, qui unus quidem est essentialiter in tribus Personis, sed in eo etiam est determinatus per paternitatem; sicut etiam, quod Pater, et Filius producunt Spiritum Sanctum per voluntatem, quae una quoque est essentialiter in tribus Personis, sed tam in Patre, quam in Filio determinata est per spirationem activam; ideoque per intellectum, et voluntatem, quatenus adjunctas habent praefatas relationes, velut meras conditiones; quin scilicet habeant vel ipsam comprincipii rationem.

Non parum quoque favet huic sententiae, quod in ea redditur ratio de iis, quae ad Divinas Processiones pertinent: cur nempe dentur in Deo processiones? quia scilicet intellectus, et voluntas sunt facultates activae, quarum proinde adesse debet terminus. Cur duae tantum, nec plures, nec pauciores sint in Deo processiones; quia scilicet duae tantum sunt facultates actuosae, quae in eo concipiuntur, idest intellectus, et voluntas. Cur processio Filii prior sit origine processione Spiritus Sancti; quia scilicet actio intellectus, a quo procedit Filius, praecedit prioritate ordinis actionem voluntatis, a qua procedit Spiritus Sanctus. Cur processio Filii sit, et dicatur generatio, non autem processio Spiritus Sancti; quia scilicet intellectus, a quo Filius procedit, est facultas, quae suapte natura tendit ad reddendum terminum similem ipsi principio; non item voluntas, a qua procedit Spiritus Sanctus. Quae si in sententia tam eorum, qui dicunt, principium *quo* proximum Divinarum Processionum esse Naturam Divinam, quatenus foecun-

dam, quam eorum, qui dicunt, esse relationes originis, nullatenus explicari possunt, quis non videt, sententiam, quam nos propugnavimus, utrique esse praeferendam?

Quod demum ex aliarum quoque refutatione sequitur; si enim ejusmodi principium nec Natura Divina, quatenus foecunda, nec relationes originis dicendae sunt; aliud dicendum non superest, quam quod supra statuimus: quare haec etiam est sententia D. Thomae 1. p. qu. 41. art. 5., ubi ita S. Doctor: *Natura, et intellectus sunt principium generationis, quatenus in obliquo significant relationem.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod intellectus Divinus Paternitatis relatione affectus vel aliquid absolutum, vel aliquid relativum dicitur. Si 1.m, per illum Pater non generat, sic enim sumptus, profecto est aliquid tribus Personis commune. Si alterum vero, neque etiam per illum generare dicendus est, relata enim, ut et nos diximus, sunt simul natura, et cognitione, cum e contrario sit de ratione principii, ut origine, et cognitione praecedat id, cujus dicitur principium. Cumque eodem modo disseri possit de voluntate, quae in Patre, et Filio spirationis activae relatione affecta vel etiam dicitur quid absolutum, vel quid relativum, hinc nec intellectum, nec voluntatem, quamvis notionaliter sumantur, principium *quo* proximum Divinarum Processionum esse, consequens est.

R. neg. maj; quod nempe Patris intellectus Paternitatis relatione affectus sit vel aliquid absolutum, vel aliquid relativum, est enim simul quid absolutum, et quid relativum. Quid absolutum, praescindendo a relatione paternitatis, qua afficitur; quid relativum vero; quatenus ea affectus. Porro cum sit hujusmodi, manifeste patet, quod nec est communis Filio, et Spiritui Sancto, nec quid simultaneum origine etiam, et cognitione cum Filio, qui per eum procedit. Primum nempe, quia aliquid relativum: alterum vero, quia simul aliquid absolutum. Quod et respondetur quoad voluntatem in Patre, et Filio relatione spirationis activae affectam.

Objic. 2.°, quod sicut essentia, et persona, ita et

intellectus essentialis, et intellectus notionalis, seu paternitatis relatione affectus unum, idemque sunt in Divinis. Quod cum ita sit, quemadmodum intellectus essentialis generare non dicitur, neque etiam intellectus notionalis, seu paternitatis relatione affectus dicendum est, quod generet: Non ergo principium *quo* proximum processionis Filii; ideoque nec voluntas notionalis Patris, et Filii principium *quo* proximum processionis Spiritus Sancti.

R. dist. maj.; quod nempe unum, idemque sunt realiter, non autem quoad ideam, et conceptum, cum unam, eademque ideam, unum, eumdemque conceptum non praebeant. Porro haec conceptuum distinctio sufficit, ut quamvis intellectus essentialis non generet, intellectus tamen notionalis, seu paternitatis relatione affectus, generet; quemadmodum nempe eadem quoque sufficit, ut quamvis Essentia, et Persona non distinguantur in Deo, nisi tantum quoad conceptum, illa tamen sit communicabilis, haec vero sit incommunicabilis.

Prop. IV. Duae sunt tantum in Deo processiones, scilicet filiatio, et spiratio passiva. Est de fide.

Probatur; 1.° enim Scripturae non loquuntur, nisi de processione Filii, et de processione Spiritus Sancti. Porro si duae tantum sunt Personae Divinae procedentes, duae etiam dicendae sunt in Deo processiones; scilicet filiatio, et spiratio passiva, quibus constituuntur secunda, et tertia Persona: Nonnisi duae igitur. 2.° si duplex tantum in Deo est principium processionum, nec nisi duplex esse potest earum terminus, nec plures quoque, nec pauciores esse in eo possunt processiones. Duplex autem in Deo est processionum principium, intellectus nempe, et voluntas. Item nonnisi duplex esse potest earum terminus; cum enim quidquid est infinitum, unicum oporteat; quod sit in suo ordine, unicus proinde in Deo esse debet tam ejus intellectionis, quam ejus volitionis terminus. Sive, ut idem paulo aliter dicamus, cum Verbum Divinum, utpote terminus intellectionis Divinae, sit infinitum, quemadmodum et Spiritus Sanctus, utpote terminus volitionis Divinae; sit quoque infinitus; unicum proinde Verbum, ac unicus Spiritus Sanctus in Deo esse potest: Duae igitur, nec plures, nec pauciores agnoscendae in Deo sunt processiones.

Accedit, ut hic quoque disseruut Theologi, quod cum Verbum, ut diximus, sit terminus intellectionis Divinae, ac

tota Dei Patris intellectio, si Verbum proinde aliud Verbum produceret, non esset Verbum Diviuae intellectionis terminus, sed principium; nec esset tota Dei Patris intellectio, sed pars, quia per illud Dei Patris intellectio non exhauriretur. Hoc autem pugnat cum definitione Verbi Dei, quod terminus est, non principium intellectionis Divinae; nec pars intellectionis Patris, sed tota Dei Patris intellectio: Non ergo Verbum aliud Verbum producit. Hinc quoque Spiritus Sanctus cum sit Amor Patris, et Filii, ac totus utriusque Amor, neque etiam alium Spiritum Sanctum producit: ex quo idcirco duas tantum agnoscendas in Deo esse processiones, magis, magisque perspicuum est.

Nec plures demum, nec pauciores, quam duas, fides catholica in Deo credit processiones.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod sicut in homine anima rationalis tribus facultatibus gaudet, intellectu scilicet, voluntate, et memoria, ita in Deo, ad cujus imaginem, et similitudinem est anima rationalis, praeter intellectum, et voluntatem, memoriam quoque debemus agnoscere. Quod cum ita sit, agnoscenda quoque in eo est processio ex memoria: Non igitur duae, sed tres dicendae in Deo sunt processiones.

R. neg. maj., quod nempe in Deo, praeter intellectum, et voluntatem, agnoscenda etiam sit memoria; memoria enim est praeteritorum, Deo autem nihil est praeteritum, vel futurum, sed omnia illi praesentissima sunt per actualem cognitionem, quae perfectissimo modo continet id, quod ad memoriam pertinet.

Objic. 2.°, quod licet vis spirandi, quam habet Pater, sit in eo exhausta per processionem Spiritus Sancti, quum Filium generat, eam tamen Filio communicat. Quod cum ita sit, aeque etiam, etsi vis generandi, quam ipse Pater habet, sit in eo exhausta per generationem Filii, quum ipsum Filium generat, eam tamen huic communicare poterit, immo communicabit; ex quo in Deo sequuntur aliae item, atque aliae processiones: Non igitur duae, sed plures, atque plures admittendae hae in Deo sunt.

R. neg. maj., quod nempe quum Pater Filium ge-

nerat, vis spirandi, quae in eo est, concipiatur exhausta per processionem Spiritus Sancti; cum enim generet Filium per intellectum, Spiritus Sanctus vero ab eo procedat per voluntatem, actioque intellectus praecedat prioritate ordinis, atque originis actionem voluntatis; in illo instanti idcirco, quo Filium generat, vis spirandi, quae in eo est; nondum concipitur exhausta per processionem Spiritus Sancti, quare eam Filio communicare potest, ac reapse communicat, non item vero vim generandi.

Objic. 3.° quod foecunditas in generandi, ac spirandi vi consistens certe est perfectio; ex quo sequitur, quod si Filio deesset vis generandi, ac Spiritui Sancto tam generandi, quam spirandi vis, Persona Filii esset Persona Patris minus perfecta, ac Persona Spiritus Sancti minus etiam perfecta, quam Persona Patris, et Filii. Id autem dictu nefas: Utraque ergo tam in Filio, quam in Spiritu Sancto agnoscenda est; ex quo etiam sequuntur in Deo aliae item, atque aliae processiones.

R. neg. sequ. maj.; cum enim Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sint unus Deus, coaequales quoque sibi sunt, quin ex Personis Divinis una sit altera perfectior; quia nempe perfectiones quoque illae relativae formaliter sunt in Natura Divina, quae inest singulis Personis, unde exurgit mirabilis illa circuminsessio, de qua ait Christus Jo. 14. *Ego in Patre, et Pater in me est*, seu intima existentia unius Personae in altera, earum simul distinctione manente quoad Personas, et absque ulla confusione unius cum altera. Utque idem paullo aliter dicamus, cum nec paternitas, nec filiatio, nec spiratio activa, nec spiratio passiva realiter distinguantur a Natura Divina, quae una, eademque numero est in tribus Personis, hinc, ut non semel diximus cum D. Fulgentio l. de fide c. 1. *Totus Pater in Filio, et Spiritu Sancto est, et totus Filius in Patre, et Spiritu Sancto est, et totus Filius, et Pater in Spiritu Sancto est.* Habeatur ideo prae oculis, quod tres Personae Divinae non sunt, nisi una res, una substantia, unus Deus; nec negari poterit, quod sicut repugnat, ut aliquid sit seipso perfectius, ita etiam, quod ex Personis Divinis una sit altera perfectior.

Objic. 4.°, quod ex omnium sententia Divina Attributa ex ipsius Dei essentia emanant; ex quibus, ut cuivis consideranti patet, omnipotentia etiam, et boni-

tas sunt quoque attributa operativa. Quod cum ita sit, tot in Deo agnoscendae sunt processiones, quot Attributa; ac maxime agnoscenda in Deo est processio ex ejus Omnipotentia, et bonitate: Non ergo duplex, sed multiplex in Deo numerus processionum.

R. dist. maj., quod nempe Dei Attributa ex ipsius Essentia emanant, tamquam a radice, et fundamento, ac eo fere modo, quo cujusvis entis proprietates ab ejus essentia concipiuntur quodammodo fluere; non vero, tamquam a principio reali, et per veram productionem, quo in casu realiter ab ipsa essentia distinguerentur, a qua tamen non distinguuntur, nisi quoad ideam, et conceptum. Ad id vero, quod additum est, respondetur quoad omnipotentiam, quod est quidem Attributum operativum; sed *ad extra*, cujus nempe terminus est quid creatum. Quoad bonitatem vero, quod non est principium productivum, sed finale, ac motivum; quodque eam sive *ad intra*, sive *ad extra* Deus diffundit per facultates intellectus, et voluntatis, quae tantum concipiuntur operativae.

CAPUT II.

De Divinis Processionibus singillatim; seu de processione Filii a Patre, et de processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio.

Agimus tantum de processione Filii a Patre, et de processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio; quod Pater enim a nullo procedat, fides docet, et nemo negat. Et sane, cum nequeat a seipso procedere, quia esset seipso in hoc casu prior simul, et posterior; neque etiam vel a Filio, vel a Spiritu Sancto, cum hi dicantur in Scripturis procedere a Patre, a quibus proinde si procederet, esset quoque iis prior simul, et posterior origine; neque etiam ab alia Persona, cum tres tantum sint Personae Divinae; ac demum neque etiam a Natura Divina, quia realiter ab illa distingueretur, nam producens, et productum distinguuntur realiter, quare Concilium Later. IV. definiit, ut non semel diximus, quod *Natura Divina nec generat, nec generatur, nec producit, nec producitur*, quippe quod cuivis Personae Divinae realiter identificatur: his positis, aliud dicendum non superest,

quam quod a nullo procedat. Hinc dicitur ingenitus, et innascibilis; quae etsi *essentialiter* tam Filio etiam, quam Spiritui Sancto conveniant, Natura enim, seu Essentia Divina, quae una, eademque numero est in tribus Personis, ingenita, et innascibilis est, ut modo diximus; utrumque tamen *notionaliter*, seu personaliter soli Patri convenit, quia ipse solus a nulla alia Persona procedit.

Hinc etiam dicitur *Pater*, quia fons nempe, et origo Divinarum Personarum, quae ab ipso procedunt; sive ut loquitur Nazianzenus orat. 13., *Deitatis principium*; quo etiam modo loquitur quoque D. Aug. l. 4. De Trinit. c. 20.: quae utriusque locutio accipienda tamen non est, quasi ipsa Deitas ab ipso procedat, hoc enim dicere esset haereticum, et damnatum a Concilio Later. verbis supra laudatis, sed quia est principium aliarum Personarum, in quibus est tota Deitas, et quibus ipse totam Deitatem communicat. Quo super nomine, idest *Patris*, advertendum quoque est, et essentialiter, et notionaliter sumi posse: sumptum namque in ordine ad creaturas, non est Personae nomen, sed Essentiae, quare nedum primae, sed et aliis duabus Personis convenit, omnia enim opera ad extra communia sunt tribus Personis, quibus proinde communiter tribuenda est omnium creatio, hominumque justificatio; et sanctificatio per gratiam. Atque hoc sensu nomen *Patris* a Christo accipitur Matth. 23., ubi ait: *Unus est Pater vester, qui in Coelis est.* Et c. 6., ubi jussit nos orare: *Pater noster, qui es in Coelis.* Sumptum vero in ordine ad internam generationem, primae tantum Personae competit, quam tantum vere, et proprie esse, ac dici Patrem, de fide est ex ostensis tract. ant.; quo idcirco sensu dicitur in Symbolo Athanasiano: *Unus ergo Pater, non tres Patres*; quo et sensu locutum Christum fuisse, cum ait Jo. 17. *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus*, docet D. Cyrillus Alex., ita in haec verba inquiens l. 11. in Jo. *Manifestavit nomen Patris Filius, quatenus in eam notionem, ac sinceram contemplationem nos induxit, ut intelligeremus, non solum Deum illum esse revera, id enim et ante Christi adventum vulgo praedicabatur per Scripturam Divinam, sed hoc insuper, praeterquam quod Deus est, eumdem quoque esse non emen-*

tita appellatione Patrem, qui in seipso proprium habet foetum cum natura sua concurrentem, atque aeternum.

Idem quoque dicendum quoad principii nomen, quod et duplici modo considerari potest, ad extra scilicet, et ad intra, seu secundum respectum ad creaturas, et secundum actiones immanentes: ac primo modo sumptum essentiale est, et commune ob rationem supra allatam tribus Personis. Altero autem modo non competit, nisi tantum Patri respectu Filii, et Patri, ac Filio respectu Spiritus Sancti; immo potissimum Patri, cum hic solus sit principium sine principio, ac solus producens simul, et improductus. Si tamen recte, et juxta fidem dicitur principium Filii, ac simul cum Filio principium Spiritus Sancti, non ideo etiam diceretur recte initium vel Filii, vel Spiritus Sancti, tum quia haec locutio excluditur ab Ap. ad Heb. 7., ubi sic loquitur de Melchisedech: *Neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus est Filio Dei*; tum quia vulgo initii nomen accipitur pro principio durationis, non pro principio productionis. Sicut etiam parum recte vel Filii, vel Spiritus Sancti Auctor diceretur, saltem quia facile in pravum sensum torqueri id posset; quare ita D. Aug. l. 3. cont. Maximinum c. 14. *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis Auctorem, quia ille genuit, iste genitus est, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor, et concedo. Si autem per nomen Auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiae Filium, cujus est Pater, detestabor, et respuam.*

De fide ergo est quoad Filium, quod a Patre procedit; quemadmodum et Christi verba cap. ant. prop. 1. allata, et ipsa Filii denominatio ostendit. Nec tantum de fide est, quod a Patre procedit, verum etiam, quod non procedit, nisi a solo Patre; tum quia nullibi dicitur, quod ab alio procedat; tum quia Spiritus Sanctus, a quo tantum dici posset procedere, ipse dicitur procedere a Filio. Ita idcirco ait Conc. Later. IV. sub Innoc. III. *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus Sanctus ob utroque pariter, absque initio semper, et fine.* Quod et Ecclesia profitetur in Symbolo Athanasiano illis verbis: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.*

Hinc 1.° dicitur *Verbum Patris*; sensu tamen supra explicato cap. ant. prop. 2., quia nempe terminus intellectionis Patris, eo fere modo, quo in nobis verbum mentis est terminus per cognitionem productus; ut enim disserit D. Th. 1. p. qu. 7. art. 1., quemadmodum *quisquis intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, producit aliquid intra seipsum, quod est conceptio rei intellectae ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens*; hinc etiam, quemadmodum mens rationalis intelligens sepsam, producit in se quamdam sui ipsius expressam imaginem, ex se natam, et in se immanentem, eodem fere modo concipiendum quoque a nobis est, quod Deus Pater ab aeterno sese intelligendo, sui ipsius imaginem expressam intra se producit, non quidem accidentalem, ut in nobis est, sed sibi consubstantialem: quae imago Verbum ejus est.

Hinc Filius dicitur 2.° imago Patris tum ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei invisibilis*; tum ad Heb. 1., ubi vocatur *splendor gloriae, et figura substantiae ejus*. Tria enim, ut DD. disserunt, requiruntur ad rationem imaginis; 1.° scilicet similitudo cum archetypo vel in natura, vel in externis lineamentis, vel in interiori ipsius archetypi repraesentatione, ex qua triplici similitudine imago dicitur vel naturalis, vel artificialis, vel intentionalis: 2.° productio ab eo, cujus dicitur imago, quare nummus, qui alteri perfecte assimiletur, non tamen illius dicitur imago: 3.° ut ejus similitudo cum archetypo sit formaliter vi ipsius processionis. Porro inter Filium, et Patrem adest perfecta similitudo tum in Natura, ob hujus in utroque unitatem, et identitatem, tum in ipsius Patris repraesentatione, quem Filius substantialiter exprimit. Item ab eo procedit. Ac demum, quia ab eo procedit per intellectum, quae est facultas suapte natura tendens ad reddendum terminum similem ipsi principio, similis est Patri vi ipsius processionis: Ejus igitur perfecta imago; et quidem ejus perfecta imago naturalis, ratione naturae; ejusque perfecta imago intentionalis, ratione personae.

Communia haec sunt inter Theologos; ac tantum quaeritur, ex quarum rerum cognitione Filius procedat. Alii enim docent, quod procedit ex cognitione, qua Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa absoluta, ut Scotistae. Alii, quod procedit

ex cognitione Essentiae Divinae, omniumque ejus Attributorum tum absolutorum, tum relativorum, ideoque trium etiam personarum, et creaturarum possibilium, non vero futurarum, ut Thomistae. Alii, quod primario procedit ex cognitione Essentiae Divinae, omniumque ejus Attributorum tum absolutorum, tum relativorum, ideoque trium etiam personarum, et creaturarum possibilium; secundario vero, et quasi per accidens ex cognitione etiam creaturarum existentium, ac futurarum in quacumque temporis differentia. Alii demum, quod simpliciter procedit ex cognitione, qua Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa, nec non sui ipsius Personam, ambasque alias Personas ab eo procedentes, ac demum creaturas omnes tum possibiles, tum existentes, tum in quacumque temporis differentia futuras.

Tandem quoad Spiritum Sanctum, qui ita appellatur, non tantum quia Ens simplicissimum, et cujusvis compositionis expers, quales etiam sunt Pater, et Filius, sed quia Amor subsistens Patris, et Filii, qui concipitur, velut quaedam voluntatis spiratio in rem amatam; quoad eum, inquam, de fide quoque est, quod procedit a Patre simul, et Filio. Et quidem, quod procedat a Patre, nemo praeter eos, qui Trinitatem Divinarum Personarum in unitate essentiae oppugnarunt, umquam negavit; dicuntur enim Ariani, ac postmodum Macedoniani id in controversiam vocasse, ajentes, a solo Filio eum esse: hoc sensu tamen a solo Filio eum esse, ajebant, quia eum, tamquam creaturam, a Filio factum arbitrabantur. Hinc dictum fuit de Spiritu Sancto in Symbolo Constantinopolitano: *Qui ex Patre procedit.* Quod vero procedat a Patre simul, et Filio, scribunt Bellarm. l. 2. De Christo c. 21., Petavius l. 7. De Trinit. c. 1., et Garnerius Diss. 3. De fide Theodoreti c. 1., hunc primum omnium id negasse; ac praesertim quia in confutatione noni anathematismi D. Cyrilli inquit, impium, et blasphemum dictu esse, quod Spiritus Sanctus *ex Filio*, *vel per Filium habeat existentiam*. Merito tamen alii id interpretantur hoc sensu, quod non esset ex Filio, vel per Filium, tamquam ejus creatura, quemadmodum Theodoreti tempore tum Eunomiani, tum Macedoniani blasphemabant. Dicendum proinde est, post Theodoreti tempora, et forte etiam

longe ab ejus temporibus, apud Graecos obtinuisse errorem, quod Spiritus Sanctus non procederet a Patre simul, et Filio, sed a solo Patre: quem caeterum errorem certo apud eos jam obtinuisse ab ipso septimi saeculi initio, constat ex epistola D. Maximi ad Marinum apud Petavium l. 7. c. 2., ubi S. Martyr totus est, ut contra Graecos populares suos processionem Spiritus Sancti a Patre, et Filio ostenderet circa annum 640., qua super re habita etiam fuere Concilium Gentiliacense prope Lutetiam anno 767., Forojuliense anno 791.; Francofurtiense anno 797., Aquisgranense anno 809., et Arelatense anno 813.

Hujus vero erroris propugnatorem, ac praeconem fuisse sub finem saeculi noni impium Photium, sacrilegum Constantinopolitanae Sedis invasorem, ut diximus l. 1. tract. 4. cap. 2., ubi de Concilio Constantinopol. IV., apud omnes constat: quem cum Graeci fere omnes secuti fuerint, eos deinde magis, magisque in haeresi, ac schismate firmavit saeculo XI. Machael Caerularius, Patriarcha et ipse Constantinopolitanus, vocem contra Latinos extollens, et quod turpiter errarent, docendo, Spiritum Sanctum a Patre, ac Filio procedere, et quod id inseruissent etiam in Symbolo per additionem particulae *Filioque* contra Ephesini Concilii Decretum nihil fidei Symbolo addendi. E contrario ad defensionem dogmatis ejus processionis a Patre, et Filio, praeter memorata Concilia, habitum quoque fuit Concilium Barense sub Urbano II. anno 1097., in quo D. Anselmus Cantuariensis Episcopus strenue illud ostendit, ac vindicavit; ac dein Concilium Later. IV. Gen. sub Innocentio III. anno 1215., Lugdunense item Gen. sub Gregorio X. anno 1274., ac demum Florentinum quoque Gen. sub Eugenio IV. anno 1439., in quibus Graeci errorem ejurarunt, ac processionem Spiritus Sancti a Patre, et Filio professi fuere, decantando etiam Symbolum in Lugdunensi, et Florentino inter Missarum solemnia cum additione particulae *Filioque.* Pro sua tamen levitate ad pristinum errorem semper rediere, paucis exceptis respectu totius nationis; ad quod referendum videtur, quod decimo quarto post anno a dissolutione Concilii Florentini, anno scilicet 1453., eorum Imperium funditus a Turcis, dum Pentecostes festa agerentur, eversum fuit.

Nec tantum fides docet, quod procedit a Patre, et Filio, verum etiam, ut definiit Conc. Florentinum, quod ab utroque, non tamquam a duobus principiis, sed tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit. Quae omnia proinde contra heterodoxos probanda, et statuenda sunt.

Quoad additionem demum particulae *Filioque* factam Symbolo, omnes DD. Catholici conveniunt, recte, ac legitime illi factam fuisse, illis tamen non convenientibus, quo praecise tempore illi fuerit adjecta: alii enim id referunt ad Damasi tempora; sed nulli monumento nixi: alii ad tempora VI. Concilii; verum etiam gratis: alii ad tempora Concilii VII., quod, ajunt, recitasse Symbolum cum additione talis particulae; verum indubiae fidei haberi nequit Codex, ubi id legitur, cum desit in aliis Codicibus. Magni alicujus Concilii, et Rom. Pontificis auctoritate additam Symbolo fuisse, scribit D. Th. 1. p. qu. 36. art. 2. ad 2.; quodnam tamen fuerit, silet. Illud proinde unum certum est, quod in praefatis Conciliis recepta, ac probata fuerit ejusmodi additio, ac tandem in Lugdunensi, ac Florentino firmata. Disputatur quoque inter eosdem, ex quarum rerum amore Spiritus Sanctus procedat a Patre, et Filio: sicut etiam, an si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc tamen a Filio distingueretur; aliis cum Scoto affirmantibus, aliis vero longe pluribus negantibus. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Filius procedit a solo Patre. Et quidem simpliciter ex cognitione, qua Deus Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitatem, nec non creaturas omnes sive possibiles, sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras. Prima pars est de fide; altera vero videtur nobis verisimilior.

Probatur 1.a pars; ut enim supra diximus, quod procedat a Patre, tum textus cap. ant. prop. 1. allati, tum ipsa Filii denominatio ostendit. Quod vero a solo Patre procedat, ex eo patet, quod nullibi dicatur procedere ab alio; quódque Spiritus Sanctus, a quo tantum dici posset procedere, ipse dicitur procedere a Filio. Quam proinde esse totius Ecclesiae fidem, declaravit, ut quoque diximus, Concilium Later. IV., ejus-

que Ministri in recitatione Symboli Athanasiani passim profitentur.

Prob. 2. pars. Est enim Verbum Divinum perfectissimum, nec non repraesentativum eorum omnium, quae unico suae cognitionis actu Deus Pater videt. Ut autem perfectissimum, procedere debet ex cognitione omnium perfectissima, qualis est comprehensiva omnium simul cognoscibilium. Ut repraesentativum vero omnium, quae unico suae cognitionis actu Deus Pater videt, procedere debet ex cognitione, qua Deus Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa, ut ex se patet: item Personarum Trinitatem, idest sui ipsius Personam, ambasque alias Personas ab Eo procedentes, cum enim prioritas, qua Deus Pater prior est Filio, et Spiritu Sancto, non sit temporis, sed ordinis tantum, et originis, in illo instanti idcirco, quo Deus Pater Filium generat, ac simul cum Filio producit Spiritum Sanctum, jam Filius, et Spiritus Sanctus existunt: item creaturas omnes, sive possibiles, sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras; quoad possibiles enim, cum hae sint objectum Divinae Omnipotentiae, nequit haec perfectissime cognosci, nisi simul cognoscantur, quae sunt ejus objectum, ex vulgari illo effato, quod correlata sunt simul natura, et cognitione; quoad existentes vero, vel futuras, quia sunt de numero rerum cognoscibilium, quae omnia Dei Patris cognitio, utpote perfectissima, et infinita, complecti debet: demum non multiplici, sed unico actu; ut enim disserit D. Thomas 1. p. qu. 34. art. 3., *in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quae intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum*: Patet ergo propositum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. contra 2. partem 1.°, quod si Verbum procederet ex cognitione trium Personarum, 1.° procederet hoc ipso a Spiritu Sancto, immo et a semetipso: 2.° esset nedum imago Dei Patris, sed et Spiritus Sancti: 3.° esset seipso, et Spiritu Sancto prius simul, et posterius; prius nempe, quia prius concipi debet existere,

quam objecta repraesentare, posterius vero, quia procederet ex cognitione sui ipsius, et Spiritus Sancti. Triplex autem consequens triplex quoque est absurdum: Non ergo dicendum, quod procedat ex cognitione trium Personarum.

R. Et quoad 1.m neg. sequ. maj.; aliud namque est procedere ex cognitione trium Personarum, quod tantum denotat, Verbum esse objectum, ac terminum Paternae cognitionis, qua Deus Pater praefata omnia comprehendit; aliud procedere a seipso, et a Spiritu Sancto, quod significat esse principium productionis sui ipsius. Utique autem procedit Verbum ex cognitione sui ipsius, et Spiritus Sancti, tamquam ex rebus cognitis, seu objecto paternae cognitionis, non tamen procedit aut a se, aut a Spiritu Sancto, tamquam ex principio: quemadmodum licet procedat ex cognitione creaturarum, saltem possibilium, ut omnes, exceptis Scotistis, nobiscum consentiunt, ex iis tamen procedit, non tamquam ex principio, sed tamquam ex objecto paternae cognitionis.

Quoad 2.m neg. etiam sequ. maj.; ad rationem namque imaginis requiritur, ut res procedat ab ea, cujus dicitur imago, tamquam a principio, eique sit similis vi ipsius processionis. Porro Verbum procedit ex cognitione Spiritus Sancti, non, ut diximus, tamquam a principio, sed tamquam ab objecto paternae cognitionis; nec est similis Spiritui Sancto vi ipsius processionis, sed ratione tantum unitatis, et identitatis Naturae, quae una, eademque numero est in tribus Personis Divinis.

Quoad 3.m dist. sequ. maj.; prius nempe, et posterius sub diverso respectu, et hoc tantum sensu, quod licet Verbum ratione originis sit prius processione Spiritus Sancti, ratione tamen repraesentationis terminative sumptae, eo posterius dici potest, quia objective procedit ex cognitione Spiritus Sancti; non autem sub eodem respectu, vel ratione temporis, aut naturae. Sub hac autem distinctione omnis tam contradictio, quam absurditas evanescit.

Objic. 2.º, quod cum omnis cognitio praesupponat obiectum, hinc ut Verbum procederet ex cognitione sui ipsius, et Spiritus Sancti, huic etiam cognitioni praesupponi deberet. Porro nec praesupponitur, nec praesupponi potest huic cognitioni, cum dicatur ejus terminus, qui hoc ipso, quod terminus, praesupponi nequit ejus

principio : Non ergo procedit ex cognitione sui ipsius, et Spiritus Sancti.

R. dist. maj. ; quod nempe omnis cognitio praesupponit objectum, si hoc sit motivum facultatis cognoscentis, quia nequit facultatem cognoscentis movere, nisi existat; non vero, si objectum sit pure terminativum, quo in casu possunt cognitio, et objectum esse simultanea; utque est in casu, de quo agimus, ea enim fere ratione, qua nos intelligendo verbum intra nos producimus, et producendo cognoscimus, ita in Divinis simul, eademque cognitione Verbum cognoscitur, et producitur.

Objic. 3.°, quod si Verbum per se, non vero quasi per accidens, procederet ex cognitione creaturarum existentium, ac futurarum, dicendum quoque esset earumdem necessario repraesentativum. Hoc autem dici nequit, nam Verbum non potuit non esse, quidquid autem est creatum ita est, ut potuerit non esse : Non ergo ex horum cognitione dicendum est per se, sed tantum quasi per accidens procedere.

R. neg. min. ; sub hypothesi enim, et consequenter ad Decretum, quo Deus ab aeterno libere decreverit hoc, atque illud condere, absolute necessario Deus Pater vidit ab aeterno eorum existentiam in hac, atque illa temporis differentia : eademque necessitate fuit Verbum illius Paternae cognitionis terminus, earumque idcirco repraesentativum. Neque id ullatenus pugnat cum eorum contingentia, cum enim quidquid creatum est non existat, nisi ex hypothesi, et consequenter ad Decretum, quo Deus libere decrevit illud condere, ita proinde existit, ut posset non existere.

Objic. 4.°, quod cum processio Verbi sit absolute necessaria, procedere Verbum non potuit ex cognitione eorum, ex quorum cognitione procedere non potuisset. Procedere autem non potuisset ex cognitione creaturarum sive existentium, sive futurarum, quidquid enim est creatum ita est, ut diximus, ut potuerit non esse: Non ergo ex earum cognitione dicendum est per se procedere.

R. neg. min. ; in hypothesi enim, et consequenter, ut diximus, ad decretum, quo Deus libere, ac simul ab aeterno eas condere decrevit, absoluta necessitate non potuit ex earum cognitione non procedere, nam absolute necessario ad eas quoque se extendit Dei Patris cognitio : nec necessitas hypothetica tantum, et consequens, qua

existunt, afficit quidem Dei Patris cognitionem, ex qua sequeretur necessitas quoque hypothetica, et consequens processionis Verbi ex earum cognitione; sed earum tantum existentiam afficit, ut consideranti fit perspicuum.

Objic. 5.°, quod actus liber ingredi profecto nequit in processionem Verbi, quae est absolute necessaria. Actus autem, quo Deus ab aeterno cognovit quidquid conditurum esset in tempore, ex omnium consensu est liber: Non ergo ingredi potuit in processionem Verbi; quod proinde dicendum non est procedere ex cognitione creaturarum existentium, ac futurarum.

R. dist. min., liberum nempe esse connotative, idest respectu termini, non vero entitative, quatenus nempe actus Divinae Mentis omnia simul attingens. Qua super re consulautur dicta l. 2., ubi de libertate Dei disseruimus.

Objic. 6.°, quod si Verbum procederet ex cognitione creaturarum existentium, ac futurarum, habuisset quoque ad illas ab aeterno respectum. Hunc autem ab aeterno respectum ad contingentia Verbum habuisse, nec cum ipsius absoluta necessitate, nec cum rerum creatarum contingentia cohaeret: Non igitur ex earum cognitione procedere, dicendum est.

R. neg. min.; aliud nempe non significat ejusmodi respectus, quam quod in hypothesi futuritionis hujus, ac illius rei ex libera Dei voluntate, eas Deus Pater ab aeterno cognovit, ut existentes in hac, atque illa temporis differentia; quas proinde Verbum, utpote repraesentativum eorum omnium, quae unico suae cognitionis actu Deus Pater videt, ut tales, quoque repraesentavit, non jam nempe, ut productas, sed ut cognitas a Patre.

Objic. 7.°, quod negari nequit, primarium Paternae cognitionis objectum esse Essentiam Divinam, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitatem, creaturas vero existentes, ac futuras nonnisi objectum secundarium. Quod cum ita sit, saltem dicendum, primario Verbum procedere ex cognitione, qua Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitatem, nec non creaturas possibiles, utpote Divinae Omnipotentiae objectum; nonnisi vero secundario ex cognitione creaturarum existentium, ac futurarum: Ita ergo saltem temperandum, quod nos statuimus.

R. neg. sequ. min.; cum enim non diversis, sed

unico, eademque actu simplicissimo omnia Deus cognoscat, ex eo idcirco, quod unum sit primarium Paternae cognitionis objectum, alterum secundarium, consequens non est, inde Verbum primario, hinc secundario procedere.

Prop. II. Spiritus Sanctus procedit a Patre simul, et Filio. Et quidem ex amore, quo Pater, et Filius necessario diligunt Divinam Essentiam, ejusque Attributa, et Personarum Trinitatem; libere vero creaturas sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras. Prima pars est de fide, altera saltem nobis verisimilior.

Probatur. 1. pars. Et quidem quod procedat a Patre, expresse inquit Christus Jo. 15. illis verbis: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Quod fidei caput, cum nemo haereticorum, qui ejus Divinitatem fatentur, in dubium vocet, sed tantum ejus processionem a Filio, hanc proinde ostendimus 1.° ex illis Scripturae textibus, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, nec non mitti, accipere, et audire a Filio, ejusque flatus, et halitus; procul enim a Divinis Personis aliquid vel adventitium, vel significans mandatum, praeceptum, magisterium, vel aliud simile, utpote quae incompossibilia cum omnimoda unitate, et identitate Essentiae, quae una, eademque numero iis inest: ex quo sequitur, quod Scripturae textus, in quibus ea dicuntur de Spiritu Sancto, de ejus a Filio processione, nec aliter, sunt intelligendi: ob rationem etiam, quia ubi de Filio dicitur in Scripturis, esse Verbum Patris, nec non mitti, accipere, et audire a Patre, ac loqui doctrinam Patris, ejus quoque processio a Patre, nec aliud, ex omnium consensu significatur. En autem Scripturae textus, in quibus de Spiritu Sancto leguntur, quae diximus; dicitur namque Spiritus Filii Actuum 16. *Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithiniam, et non permisit eos Spiritu Jesu.* Et ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et ad Gal. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in cordo vestra.* Dicitur quoque mitti, accipere, et audire a Filio Jo. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et c. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et ibidem: *Cum autem venerit ille*

Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur; et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Dicitur demum quasi ejus flatus, at halitus Jo. 20., ubi Christus in Discipulos suos Spiritum Sanctum, tamquam suum, insufflans, *insufflavit, et dixit ejus: Accipite Spiritum Sanctum.*

Reponunt quidem Graeci, apte etiam relata verba intelligi posse de Spiritus Sancti consubstantialitate cum Filio. Sed inepte prorsus, tum quia in hoc sensu etiam Filius dici posset Spiritus Sancti Spiritus, atque ab hoc mitti, accipere, et audire, ejusque flatus; quod nullibi dicitur; tum quia consubstantialitas praestat, quod Divinarum Personarum una sit substantia, non vero, quod una sit propria alterius, sive ab ea mittatur, accipiat, audiat, spiretur.

2.° Ex relatis ipsius Christi verbis Jo. 15. *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*, sola scilicet excepta ratione *Ingeniti*, quam tantum, seu *paternitatem* Filius non habet, quia cum ea opponitur relative. Si autem caetera, quae habet Pater, habet et Filius, habere etiam debet vim spirandi, seu producendi Spiritum Sanctum, quodque sit, perinde ac Pater, Spiritus Sancti principium: Ita ergo dicendum.

3.° Ex Patribus, et 1.° Graecis; ita enim D. Athanasius orat. De Incarn., ubi vocat Filium *Fontem Sancti Spiritus.* Et orat. 4. contra Arianos: *Neque vero Spiritus Verbum cum Patre copulat, sed potius Spiritus a Verbo accipit . . . ipse enim, ut dictum est Spiritum dat, et quaecumque habet Spiritus, haec habet a Verbo.* Et ep. 3. ad Serapionem: *Quemadmodum Filius dicit, omnia quaecumque habet Pater, mea sunt, ita haec omnia per Filium in Spiritu esse deprehendimus.*

Ita quoque D. Chrysost. hom 1. de Symb. *Iste est Spiritus procedens de Patre, et Filio, qui dividit singulis propria dona, prout vult.* Et hom. 2. *Spiritum Sanctum dicimus Patri, et Filio coaeternum, et procedentem de Patre, et Filio.*

Ita quoque D. Epiphanius in Ancorato n. 8. *Inest ergo Deus in Patre, inest in Filio, inest in Spiritu*

Sancto, qui ex Deo pariter, et Deus est ... inter Patrem, et Filium medius, ex Patre, Filioque procedens, et appellatione tertius.

Ita quoque D. Basilius l. 2. de Spiritu S. n. 34. *Nulla Filii operatio a Patre divisa est: Omnia enim* inquit, *mea tua sunt, et tua mea. Quomodo igitur Spiritus causam Unigenito soli tribuit* Eunomius, *et ad ejus accusandam naturam hujus creationem usurpat? .. Cum Apostolus conjuncte nobis tradat, et modo Christi, modo Dei Spiritum dicat . . . Dominus vero Spiritum veritatis nominet, quippe ipse est veritas.*

Ita quoque D. Greg. Nazianz. or. in Pentec. *Omnia quaecumque Pater habet, sunt Filii, praeterquam quod ingenitus non est.* Ergo et esse principium Spiritus Sancti, perinde ac Pater ejus principium est.

Ita quoque D. Greg. Nyssenus l. 1. cont. Eunom. *Ut Patri conjunctus est Filius, et cum ex illo esse habet, non tamen posterius existit, sic etiam Spiritus Sanctus proxime haeret Filio, qui sola cogitatione secundum rationem principii prius consideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quae saeculum omne praecedit, locum non habent.*

Ita quoque D. Cyrillus Alex. l. 24. Thesauri: *Cum ergo Spiritus Sanctus in nobis existens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre, et Filio, perspicuum est, Divinae ipsum esse substantiae.* Et Comment. in Jo. l. 12. c. 56. *Unde nobis firmiter credendum est, non esse alienum a Filio Spiritum Sanctum, nam cum ei consubstantialis sit, ex Patre per ipsum procedit.* Et ep. 2. ad Nestorium: *Etsi Spiritus in propria Persona subsistat, eatenusque in seipso consideretur, quatenus Spiritus est, et non Filius, non est tamen ab eo alienus; quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est: et proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.*

Demum D. Maximus in ep. ad Marinum nedum docet, *etiam ex Filio Spiritum Sanctum procedere*, sed *et consentire Patrum auctoritates.*

Concinunt Patres Latini, ex quibus ita Tertullianus l. cont. Praxeam c. 4. *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.* Et D. Ambros. l. 1. de Spiritu S. c. 16. *Spiritus quoque Sanctus cum procedit a Patre, et Filio, non separatur a Patre, non*

separatur a Filio. Et l. de Symbolo c. 4. *Spiritus vero, qui ab utroque procedit, nec ipse coepit.* Et D. Aug. l. 4. De Trinit. c. 20. *Nec possumus dicere, quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat, neque enim frustra idem Spiritus et Patris, et Filii Spiritus dicitur.* Et tract. 99. in Jo. *Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post Resurrectionem se repraesentans Discipulis suis insufflans diceret: Accipite Spiritum Sanctum. Quid enim aliud significavit ista insufflatio, nisi quod procedat Spiritus Sanctus et de ipso?* Et D. Hilarius l. 2. De Trinit. n. 29. *Loqui de eo non necesse est, qui Patre, et Filio auctoribus confitendus est.* Quorum agmen claudat Leo M., cujus doctrinam appellavit Concilium Chalcedonense *Columnam fidei Orthodoxae*; ita enim ep. 93. *Alium esse, qui genuit; alium, qui genitus est; alium, qui ab utroque procedit.*

4.° Ex Conciliis Generalibus; relatam namque Cyrilli epistolam ad Nestorium, ubi, ut supra diximus, diserte asseritur Spiritus Sancti processio a Patre, et Filio, approbarunt Ephesinum act. 13., Chalcedonense act. 53., Constantinopolitanum II. collatione 6., et 8., Constantinopolitanum III. act. 18., et Constantinopolitanum IV. act. ultima. Quod et postea definitum fuit in Conc. Later. IV. sub Innoc. III., in Lugdunensi sub Greg. X., et in Florentino sub Eug. IV.

5.° Ratione theologica, quia enim in Divinis, ut vulgare fert, duce D. Anselmo l. De Process. Spiritus Sancti c. 7., Theologorum effatum, *omnia sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio*, quemadmodum ex omnimoda Divinae Essentiae in tribus Personis unitate, ac identitate manifeste sequitur; hinc si in Filio non esset spiratio activa respectu Spiritus Sancti, neque etiam inter Filium, et Spiritum Sanctum ulla esset distinctio, quia nempe nulla inter eos esset relationis oppositio. De fide autem est, quod Persona Filii realiter distinguitur a Persona Spiritus Sancti: Inest igitur Filio spiratio activa respectu Spiritus Sancti; qui idcirco quemadmodum a Patre, ita etiam a Filio procedit.

Accedit, quod si Filius non esset principium Spiritus Sancti, qui ab eo aeque, ac a Patre procederet, neque etiam Filius esset Patri perfecte similis, et

consubstantialis, quia ei deesset vis spirandi Spiritum S., quam non excludit ipsius personalis oppositio respectu Patris. Est autem de fide, quod est Patri perfecte similis, et consubstantialis, quodque ea omnia habet, quae non excludit praefata oppositio: Est quoque igitur principium Spiritus Sancti, qui ab eo aeque, ac a Patre procedit.

Probatur 2. pars, quia non minus perfecta esse debet actio amandi, per quam producitur Spiritus Sanctus, quam actio intelligendi, per quam gignitur Filius; atque illa extenditur ad omnia intelligibilia, ita haec extendi debet ad omnia diligibilia. Ex ostensis autem prop. ant., gignitur Filius, seu procedit ex cognitione, qua Pater comprehendit Essentiam Divinam, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitatem, nec non creaturas omnes sive possibiles, sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras, haec enim sunt omnia intelligibilia: Et Spiritus Sanctus igitur procedit ex amore, quo Pater, et Filius diligunt omnia diligibilia; a quo cum tantum excludantur creaturae mere possibiles, quia enim amare est bonum velle, nullumque bonum Deus vult creaturis numquam futuris, utpote quibus nihil daturus est, neque etiam in iis ullus amor percipitur creaturarum mere possibilium; hinc ab amore, e quo procedit Spiritus Sanctus, creaturas mere possibiles exclusimus. Cumque item existentibus, vel futuris quidquid Deus boni vult, libere illud eis velit; hinc et diximus, quod procedit ex amore, quo Pater, et Filius necessario diligunt Divinam Essentiam, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitatem; libere vero creaturas sive existentes, sive in quacumque temporis differentia futuras. Dicitur vero a D. Aug. l. 6. De Trinit. c. 51., quod Spiritus Sanctus est, *quo Genitus a Generante diligitur, Genitoremque suum diligit*: Cui D. Bernardus concinens ser. 8. in Cant. super illa verba; *Osculetur me osculo oris sui*, *Si* (ait) *recte Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re Spiritum Sanctum osculum intelligi, utpote qui Patris, et Filii gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas*: ob idipsum nempe, quod supra advertimus, quod necessarium amoris, e quo procedit, objectum est Essentia Divina, ejusque Attributa, ac Personarum Trinitas; at non item quaecumque res ad extra, utpote quas Deus non necessario,

sed libere diligit. Ad ea vero, quae e contrario objiciuntur, non immoramur respondere, cum similia sint iis, quibus supra respondimus prop. ant., idemque esset idcirco peculiariter respondere, ac actum agere. Immorandum tamen super his quae contra 1.m partem objiciuntur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Nedum nullibi Scripturarum legitur quod Spiritus Sanctus procedat a Patre, et Filio, verum etiam Christus, nulla sui ipsius mentione facta, absolute ait Jo. 15., quod *a Patre procedit*. Quid inde autem pronum est inferre, quam quod procedat a solo Patre? Ab hoc ergo tantum procedit.

R. neg. maj.; aequivalentibus enim verbis utique Scripturae, ut supra ostendimus, testantur, quod sicut a Patre, ita etiam a Filio procedit; idque etiam citato Joannis loco, ubi Christus ait, quod a Patre procedit, satis quoque innuit, quod simul ab ipso procedit, inquiens scilicet, quod ipse in discipulos suos eum esset missurus, ac postremis verbis tantum significans, ut recte nonnulli interpretantur, quod Pater est aliarum Personarum velut fons, et origo.

Objic. 2.° D. Athanasius, qui in quaest. De Natura Dei scribit, *solum Patrem caussam esse duorum*. D. Greg. Nazianz., qui orat. 24. ad Episcopos ait: *Quidquid habet Pater, idem Filii esse, excepta causa*. Affertur quoque testimonium Presbyterorum Achaiae, qui in Actis Passionis D. Andreae Apostoli inquiunt, Spiritum Sanctum *a Patre procedere, ac permanere in Filio*. Nec non D. Maximus scribens ad Marinum, ac inquiens, *Patres non concedere, Filium esse causam, idest principium Spiritus Sancti*. Ac demum quod apud et Athanasium in Redargutione Eusebii, et Meletii, et Nyssenum l. 1. adversus Eunomium, et Cyrillum contra Palladium legitur de Spiritu Sancto, quod procedit ex Patre per Filium. Aliud autem est procedere *ex Filio*, et procedere *per Filium*; siquidem particula *ex* significat principium, non item particula *per*.

R., quod cum Patres sibi ipsis profecto non contradixerint, ac aperte, ut inter probationes vidimus, professi fuerint processionem Spiritus Sancti a Patre si-

mul, et Filio; aliud proinde objectis verbis non significasse, dicendum est, quam quod solus Pater est principium absque principio, et fons, cui non est ab altero scaturigo. Ajentes vero, Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere, idem ajebunt, ac eum procedere ex Patre simul, et Filio, falsum namque est, quod particula *ex*, non item particula *per* denonat principium, ut patet et ex illis verbis Geneseos 4. *Possedi hominem per Deum.* Et ex eo, quod dicitur Jo. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et ad Col. 1. *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* Ac demum in ep. ad Rom. c. 12. aeque dicitur de rebus creatis, quae communia sunt tribus Personis: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*; ex quo textu evidenter sequitur, aeque per particulas *ex*, *per*, et *in* rerum omnium principium significari. Nisi etiam dicere velimus, quod ajentes, Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium, significare voluerint, eum procedere ex Filio per virtutem ipsi a Patre communicatam: quod utique verum est.

Objic. 3.° D: Joannes Damascenus l. 1. de fide Orthodoxa c. 11, ubi: *Spiritum Sanctum et ex Patre esse statuimus, et Patris Spiritum appellamus. At vero eum non esse ex Filio, dicimus; sed Filii Spiritum nominamus.*

R., quod cum Damasceni aetate adhuc vigeret haeresis Eunomianorum, et Macedonianorum, dicentium, Spiritum Sanctum esse ex Filio, quia de coeterarum creaturarum numero; satius censuit S. Pater, ejus processionem a Filio profiteri per verba, quod est Spiritus Filii, quam per verba, quod sit ex Filio, ne scilicet suspicionem ingereret, quod id sensu haereticorum diceret. Quo etiam modo, tametsi verissime B. Virgo fuerit Christi Mater, ne tamen quid commune scriberet cum Nestorianis, qui ideo illam appellabant *Christiparam*, quia verum Deum non peperisse, blasphemabant, *Christiparam* (inquit eodem libro c. 77.) *Virginem Sanctam non dicimus.* Eadem vero oeconomia usum fuisse quoad Spiritum Sanctum loco supra citato, satis, immo evidenter colligitur ex contextu, ita enim pergit: *Quemadmodum videlicet ex Sole est radius, et splendor (ipse enim et radii, et splendoris fons est); per*

radium autem splendor nobis communicatur , atque ipse est , qui nos collustrat , et a nobis percipitur. Porro si Patrem comparat Soli , Filium radio , Spiritum Sanctum splendori , quis non videt , quod sicut splendor est a Sole , et radio , ita Spiritum Sanctum, inquit, esse a Patre . et Filio ?

Objic. 4.ª Theodoretus tum loco supra citato , tum in ep. ad Monasteria apud Hugonem Etherianum , ubi Theodoretus D. Cyrillum increpans , *blasphemat* (inquit) *et in Spiritum Sanctum , dum non ex Patre solo illum asserit procedere juxta Domini vocem , sed ex Filio eumdem habere existentiam. Hi sunt Ægyptii partus , et malo patre deteriora germina.*

R. tum quod supra reposuimus , quod nempe negabat Theodoretus , Spiritum Sanctum a Filio procedere ad sensum Enomianorum, et Macedonianorum, tamquam ejus creaturam , non vero ad sensum Catholicorum : tum quod licet Theodoretus hac in parte errasset , et ipse tamen in Concilio Chalcedonensi damnavit postmodum quaecumque scripserat adversus D. Cyrillum ; et eadem omnia Concilium quoque Constantinopolitanum II., salva caeterum Theodoreti persona, anathemate inussit , ut diximus l. 1. tract. 4. cap. 2. , ubi de Conc. Chalced. , et Constantin. II. egimus.

Objic. 5.º , quod Concilium Nicaenum I., et ipsum Constantinopolitanum I. coactum ob haeresim Macedonii contra Spiritum Sanctum siluit prorsus de ejus processione ex Filio : quodque cum Charisius Presbyter legisset in Concilio Ephesino Symbolum Nestorianum , in quo dicebatur Spiritus Sanctus non habere substantiam per Filium , id non improbavit Concilium. Si autem Ecclesia credidisset , quod a Patre , et Filio procedit , hujus profecto duo priora Concilia meminissent , et Ephesinum illud Nestorii assertum nota inussisset : Non ergo haec vetus Ecclesiae fides.

R. neg. sequ. min. ; in Concilio enim Nicaeno , et Constantinopolit. id praeteritum fuit , quia nulla adhuc exorta fuerat quaestio super processione Spiritus Sancti ex Patre , et Filio , fuitque semper mos Ecclesiae novas definitiones non edere , nisi occasione exortarum haeresum, nec in iis aliam doctrinam exprimere , quam eam solam , quam haeretici impugnassent. Immo a Patribus Constantinopolitanis consulto etiam videtur fa-

ctum, ut de processione Spiritus Sancti a Filio nullum verbum proferrent, siquidem ultro hoc docebant Eunomiani, et Macedoniani, ajentes, Spiritum Sanctum a solo Filio procedere, tamquam creaturam Filii; ac de sola processione a Patre loquerentur, ajentes, quod a Patre procedit, utpote id, quod Eunomiani, et Macedoniani negabant, negando scilicet ejus Divinitatem, et consubstantialitatem cum Patre. In Ephesino autem improbata non fuit illa Nestorii assertio, quia cum tunc grassarentur adhuc Eunomiani, et Macedoniani, qui ajebant, Spiritum Sanctum esse per Filium eo prorsus modo, quo *omnia per ipsum facta sunt*, hinc ejus proprius sensus non negabat ejus processionem a Filio, sed eum tantum excludebat e numero rerum creatarum.

Objic. 6.°, quod si Spiritus Sanctus procederet ex Patre, et Filio, duplex dicendum esset Spiritus Sancti principium. Unius autem rei unum quoque dicendum est principium: Non ergo, nisi a solo Patre procedit. Item quod Pater de se est sufficiens principium Spiritus Sancti, totam namque in se habet illum spirandi vim. Quod si de se sufficiens, frustra ei adnectitur Filius: Non ergo etiam ex hoc procedit. Demum vis spirandi vel essentialis, vel personalis dicitur. Cum autem primum dici nequeat, quia si essentialis, ipsi etiam Spiritui Sancto tribuenda esset, hinc dicenda est personalis; utque personalis, uni tantum personae tribui potest, proprietates enim personales hoc ipso etiam sunt incommunicabiles: Uni ergo Patri tribuenda est, ex quo ideo tantum Spiritus Sanctus procedit.

R. quoad 1.m neg. sequ. maj.; cujus ratio est, quia cum principia non multiplicentur ratione suppositorum, sed formae, ex qua est ratio principii; quemadmodum proinde una in Patre, et Filio est vis spirandi, uterque etiam unum dicendum est Spiritus Sancti principium. Sed fusius paullo infra hac de re.

Quoad 2.m neg. min.; est enim Pater de se sufficiens Spiritus Sancti principium, quia sicut una, eademque numero natura est ipsius Patris, et Filii, ita una, eademque ipsi, et Filio inest vis spirandi, qua est principium Spiritus Sancti. Prout etiam, licet de se sit sufficiens principium creationis, non tamen falso accensetur creatio Filio etiam, et Spiritui San-

tio, quia sicut una, eademque numero natura est Patris, Filii, et Spiritus Sancti, ita una, eademque iis inest vis creatrix.

Quoad 3.m neg. mai.; non enim vis spirandi vel essentialis, vel personalis dicenda est, sed notionalis, cujus scilicet ratione Pater, et Filius sunt unicum Spiritus Sancti principium, et ab eo realiter distinguuntur: cum enim sit proprietas relativa, ideoque non communicetur Spiritui Sancto simul cum Essentia, dum a Patre, et Filio procedit, sequitur, quod dicenda non est essentialis. Sicut neque etiam personalis, quia nec Personam Patris, nec Personam Filii constituit, Pater quippe in ratione Patris per paternitatem, Filius vero in ratione Filii per filiationem constituitur.

Prop. III. Pater, et Filius non duplex, sed unum sunt, ac per unicam spirationem Spiritus Sancti principium. Est quoque de fide.

Probatur 1.° ex Synodo tam Lugdunensi, quam Florentino, quae totidem verbis id declararunt; ita enim Lugdunense: *Fideli, ac devota confessione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre, et Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ab uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.* Quod et Florentinum declarans; credenda, ac suscipienda est, ait, tamquam *fidei veritas ab omnibus Christianis, quod Spiritus Sanctus ex Patre, et Filio aeternaliter . . . tamquam ab uno principio, et una spiratione procedit.* Idem diserte tradiderat tum D. Basilius *l.* 2. *cont. Eunomium*, tum D. Aug. *l.* 5. *De Trinit. c.* 14.; idemque demum evidens ratio Theologica ostendit.

Probatur igitur 2.° ratione Theologica; unum namque dicendum est Spiritus Sancti principium, ac unica spiratio, per quam a Patre, et Filio procedit, si in Patre, et Filio una, et indivisa est vis illum producendi, ac una, et indivisa actio, qua producitur. Utraque autem una, et indivisa est in Patre, et Filio; ob omnimodam enim unitatem, et identitatem naturae in tribus Personis Divinis omnia in iis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio; nec ulla relationis oppositio obviat inter Patrem, et Filium ratione spirationis activae, quae in utroque est respectu Spiritus Sancti: Unum ergo dicendum est Spi-

ritus Sancti principium, ac unica spiratio, per quam a Patre, et Filio procedit.

Utque idem paullo aliter dicamus cum D. Anselmo l. de processione Spiritus Sancti c. 18., quemadmodum, licet Pater sit Creator, Filius Creator, Spiritus Sanctus Creator, non item sunt tres Creatores, sed unus Creator, quia una, et indivisa in iis est vis, et actio creandi; ita licet Pater sit Spirator, ac Filius Spirator, neque item sunt duo Spiratores, sed unus Spirator, quia una quoque, et indivisa in iis est vis, et actio spirandi. Quod et D. Thomas confirmans 1. *p. qu.* 36. *art.* 4. *ad* 7., nomina quidem adjectiva, advertit, numerum suscipere secundum supposita, substantiva vero a seipsis. Hinc, *quia spirans est nomen adjectivum, spirator vero substantivum, possumus dicere, quod Pater, et Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter unam spirationem.* Hinc etiam subdit, *dum Hilarius dicit, quod Spiritus Sanctus est a Patre, et Filio auctoribus, exponendum est, quod ponitur substantivum pro adjectivo.* Hinc etiam, licet principium *quod* processionis, ut initio hujus tractatus diximus, sit persona, sitque alia Persona Patris, alia Filii, non tamen duplex dici potest principium *quod* Spiritus Sancti: quia est quidem principium *quod* processionis Spiritus Sancti Persona Patris, et Persona Filii, at simul cum proprietate relativa spirationis activae, quae una, et indivisa est in utroque.

Prop. IV. Recte, ac legitime fuit particula *Filioque* Constantinopolitano Symbolo adjecta. Ita omnes Catholici.

Probatur. Et 1.° ex definitione Concilii Florentini; post definitam namque processionem Spiritus Sancti ex Patre, et Filio, dixerunt Patres: *Definimus insuper, explicationem verborum illorum Filioque veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

2.° Ex praxi Ecclesiae, quae ut fidei depositum sartum, tectumque custodiret, atque ab Arianorum insidiis eriperet, addidit Apostolorum Symbolo quoad Verbum in Concilio Nicaeno I., esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri, etc.*. Quoad

Spiritum Sanctum vero ob grassantem Eunomianorum, ac Macedonianorum errorem addidit in Concilio Constantinopolitano I. *Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, et Filio simul adorandum, et glorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Porro si ob circumstantias illorum temporum licuit Ecclesiae Apostolorum Symbolo illa addere, cur non item ei licuit, quod ob subsequentes circumstantias, Graecorum nempe errorem, processionem Spiritus Sancti a Filio oppugnantium, particulam *Filioque* illi adjiceret?

3.° Quia ideo obmurmuratum aliquando fuit contra ejusmodi additionem; quia vetitum fuisse dicebatur a Conciliis Ephesino *act.* 6., Chalcedonensi *act.* 2., Constantinopolitano III. *act.* 4., et Nicaeno II., ubi post fidei definitionem dictum fuit: *Nos leges Patrum custodimus; nos eos, qui addunt, vel qui adimunt, anathematizamus.* Non aliud autem ab iis vetitum fuit, quam quod ne quis privata auctoritate novam fidei formulam, eoque magis veteri repugnantem, cudere auderet; non vero, quod, haeretico insurgente, ac grassante dogmate, nova fieret, si ita expediens, ac necessarium videretur ad fidei depositum custodiendum, et ad fidelium bonum, aliqua Symbolo accessio publica Ecclesiae, ejusque Capitis auctoritate. Quid clarius? Immo quomodonam praecedentia Concilia vetare id poterant subsequentibus, aeque ac illa, universalem Ecclesiam repraesentantibus; quodque ipsis justa, ac necessaria ex causa licuerat, illicitum, eadem caeterum causa posita, posterioribus reddere?

Objicitur quod etiam Concilii Ephesini tempore necessarium fuerat Symbolo adjicere vocem *Deiparae*, ob Nestorii haeresim, hanc attributionem Beatae Virgini detrectantem; cui tamen non fuit addita: quodque Concilii Chalcedonensis tempore necessarium quoque fuerat illi adjicere duplicem Christo inesse naturam; cui tamen nedum adjectum non fuit, verum etiam cum aliqui proposuissent, novam condi fidei formulam, Nicaeno, et Constantinopolitano Symbolis consonam, clamaverunt Episcopi, *expositionem alteram nullus faciat* (Act. 2.). Ac demum quod cum Synodi Aquisgranensis Legati postulassent apud Leonem III. an. 809., ut probaret adjectionem particulae *Filioque* a Synodo factam Symbolo, nedum Summus Pontifex renuit, verum etiam jussit,

Symbolum Constantinopolitanum in duabus tabulis argenteis graecis, latinisque litteris inscribi absque tali additamento, ac juxta D. Petri confessionem ad perpetuam rei memoriam locari. Si autem, quamvis ageretur in praefatis casibus de additione et fidei consona, et justa, ac necessaria de causa, et per Supremam Ecclesiae auctoritatem faciendam Symbolo, neque etiam id sibi licere judicarint duo Oecumenica Concilia, ac Summus Pontifex Leo III., dicendumne aliud, quam quod id numquam liceret?

Respondetur tamen negando, quod in praefatis casibus ageretur de additione facienda Symbolo justa, ac necessaria de causa: quoad primum enim, et alterum, ambo fidei capita, quae definita fuerunt a Conciliis Ephesino, et Chalcedonensi expresse continebantur in Symbolis Nicaeno, et Constantinopolitano; quod nempe B. Virgo dicenda esset *Deipara*, in eo, quod Christus est *Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri, et incarnatus, ac natus ex Maria Virgine*; quodque in Christo duplex esset natura, in eo, quod Deus simul, et homo credendus est. Quoad postremum vero, neque etiam tempore Leonis III., adeo exarserat controversia de processione Spiritus Sancti a Filio, ut Summus ille Pontifex expediens, ac necessarium judicaret id Symbolo addere, quia non adhuc Photius, totius Orientis exitio natus, vexillum haeresis contra hoc fidei caput extulerat. Hinc etiam Pontifex ejusmodi additioni restitit, simul tamen consentiendo cum Legatis Synodi circa dogma processionis Spiritus Sancti a Filio, ut constat ex Actis Legationis, quae ex Abbate Smaragdo Sirmondus descripsit Tom. 2. Conc. Galliae, ne quilibet privata auctoritate, et absque Romani Pontificis, et universalis Ecclesiae consensu addere Symbolo vel quid minimum auderet.

Prop. V. Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, neque etiam ab illo realiter distingueretur. Ita communius contra Scotistas.

Probatur ex illo Theologorum effato, quod ob omnimodam Essentiae unitatem, ac identitatem in tribus Personis Divinis *omnia in iis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio*; ex quo cum iis ostendimus, spirationem activam, quae est in Patre, debere etiam Filio inesse, quia ratione spirationis activae nulla obviat inter Patrem, et Filium relationis oppositio, sed

tantum ratione paternitatis, et filiationis. At si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, nulla inter eum, et Filium, relationis oppositio obviaret, per filiationem enim praecise sumptam, idest absque spiratione activa, nulla concipitur relationis oppositio inter Filium, et Spiritum Sanctum: Si ergo Spiritus Sanctus a Filio non procederet, una, eademque Persona esset cum Filio; ac una, eademque Persona esset, quae diceretur Filius, prout a Patre procederet per intellectum, et diceretur Spiritus Sanctus, prout ab eo procederet per voluntatem.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° D. Anselmus. l. de process. Spiritus Sancti c. 4., ubi haec habet: *Si per aliud non essent plures Filius, et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi, scilicet, quia alter nascendo, alter existit procedendo*; seu quia alter per intellectum, alter per voluntatem procedit. Si autem ex D. Anselmo per hoc solum essent diversi, etiamsi idcirco unus ab altero non procederet, adhuc tamen ex eodem realiter distinguerentur: Quamvis ergo Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc tamen ad illo realiter distingueretur.

R., sensum ejus verborum esse, quod per illud solum aliqua inter Filium, et Spiritum Sanctum esset oppositio, non tamen, quae sufficeret ad realem Personarum distinctionem; ipse enim S. D. illud in Scholas effatum invexit, ut supra diximus, quod *omnia in Divinis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio*: ex quo adeo manifestum est, D. Anselmum non aliunde realem distinctionem inter Personas Divinas petere, ut Petavius l. 7. De Trinit. c. 9. n. 7. rem miram appellet, in dubium id vocari posse. Caeterum ex eo quod Filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus vero per voluntatem, recte etiam dicitur, quod si non proxime, et immediate, radicaliter tamen, et mediate oritur distinctio inter Filium, et Spiritum Sanctum: cum enim actio intellectus praecedat prioritate ordinis, atque originis actionem voluntatis, ideo in illo instanti, quo Pater Filium generat, vis spirandi, quae in eo est, nondum, ut diximus c. ant. resp. ad 2., concipitur exhausta per processionem Spiritus Sancti, quare eam Filio communicare potest, et reapse communicat.

Objic. 2.°, quod, quamvis praescindamus a spiratione activa in Filio, neque tamen Filius est Spiritus Sanctus, neque Spiritus Sanctus est Filius, sed duo disparata. Haec autem oppositio disparata sufficit ad realiter distinguendam unius Personam a Persona alterius: Rursum ergo, quamvis Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc tamen ab illo realiter distingueretur.

R. neg. min.; licet namque in creatis realis distinctio oriatur tum ab origine unius ab alio, tum a limitatione, quamobrem ea etiam, quae tantum disparata sunt, ob ipsam eorum finitatem realiter distinguuntur; in Divinis tamen; ubi Essentia Divina, quae una, eademque numero est in tribus Personis, nescit limitem, sed est infinita, nonnisi ex oppositione relativa ratione originis unius ab alia oriri potest distinctio realis; qua sublata, omnia in iis unum, idemque esse debent. Hinc tametsi paternitas, et spiratio activa in Patre disparem conceptum praebeant, sintque ideo quoad conceptum duo disparata, non tamen realiter, sed tantum quoad nostrum concipiendi modum in eo distinguuntur. Quare etiam, licet filiatio praecise sumpta in Filio, et spiratio passiva praecise sumpta in Spiritu Sancto disparem quoque conceptum praebeant, sintque ideo quoad conceptum duo disparata, nisi tamen Filio inesset quoque spiratio activa, vi cujus ab eo Spiritus Sanctus procederet, neque etiam realiter, sed tantum quoad conceptum Filius a Spiritu Sancto distingueretur, ac, ut supra diximus, una, eademque Persona esset, quae diceretur Filius, prout a Patre procederet per intellectum, et diceretur Spiritus Sanctus, prout ab eo procederet per voluntatem.

Objic. 3.°, quod, licet Spiritus Sanctus a Filio non procederet, haberet tamen Filius id omne, per quod a Spiritu Sancto distinguitur, idest filiationem, per quam in ratione personae, ac incommunicabilis alteri constituitur. Quod cum ita sit, en, quod licet nulla processionis ratio inter utrumque esset, per solam tamen filiationem Filius a Spiritu Sancto distingueretur: Quamvis ergo Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc tamen Filius per solam filiationem realiter a Spiritu Sancto distingueretur.

R. neg. maj.; quod nempe per filiationem habet Filius id omne, per quod a Spiritu Sancto distinguitur: cum enim, ratione spiratoris sublata, nulla esset rela-

tionis oppositio inter Filium, et Spiritum Sanctum, neque etiam ulla inter eos esset distinctio, sed una, eademque Persona esset sub duplici appellatione. Nec id, quod additum est, aliquid prorsus habet roboris; per solam filiationem namque constituitur quidem Filius in ratione Filii, at non item in ratione spiratoris: ex quo sequitur, quod per eamdem solam constituitur utique in ratione personae, at non item in ratione talis personae. Accedit, ut advertit Laur. Berti De Theol. Discipl. l. 9. c. 4., quod filiatio, quae constituit Filium Dei, non est sola *Filiatio*, sed *Filiatio Dei*: Filiatio, inquam, quae est quidquid est, et illud tantum non est, quod cum ea opponitur relative. Et haec *Filiatio* distinguitur a Spiritu Sancto seipsa, non quod foret distincta, etiamsi non esset spiratio; sed quia cum sit quaedam res summa, et contineat quidquid est, praeter id solum, quod cum ea opponitur relative, spirationem quoque activam complectitur.

Objic. 4.°, quod etsi Filius non procedat a Spiritu Sancto, ab eo tamen distinguitur. Item etsi Spiritus Sanctus a solo Filio procederet, adhuc tamen ex omnium consensu a Patre distingueretur. Quod cum ita sit, tametsi etiam a solo Patre procederet, adhuc tamen distingueretur a Filio: Tametsi ergo ab hoc non procederet, adhuc tamen ab eo realiter distingueretur.

R. neg. sequ. min.; distinguitur enim Filius a Spiritu Sancto, etsi ab eo non procedat, quia cum sit Spiritus Sancti principium, ac inter producens, et productum sit oppositio relationis; adesse etiam debet inter utrumque distinctio realis, quia nonnisi inter duo relatio esse potest. Item Spiritus Sanctus, etsi a solo Filio procederet, adhuc tamen a Patre distingueretur, quia cum Pater sit principium Filii, a quo Filius habet quidquid habet, ideoque et vim spirandi Spiritum Sanctum habet, mediate saltem censeretur Spiritus Sanctus ab illo etiam procedere: ac eo fere modo, quo aqua decurrens proxime a fluvio, decurrit etiam remote a fonte; ac flos emissus proxime a ramis, emittitur etiam remote a radicum fibris; ita Spiritus procedens a Filio, procederet etiam remote a Patre. At si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nullatenus ab eo distingui posset, quia ob non semel repetitum effatum

omnia in Divinis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio; nec ulla in tali hypothesi inter eum, et Filium relationis oppositio obviaret.

CAPUT III.

De ratione, cur processio Filii dicatur, ac sit generatio; processio autem Spiritus Sancti simplex processio.

Antequam quaestionem hanc difficillimam aggrediamur, operae pretium est advertere, quod ratio, omni fugata obscuritate, explicans tam arcanum Mysterium a nemine unquam quaesita fuit, nec quaeri absque insigni temeritate potest; huc enim refertur et illud Isaiae 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Et illud Christi Matth. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Quod et Patres infra laudandi non semel monuerunt. Nemo idcirco hac super re expectet e rationis penu adeo lucidam quaestionis propositae solutionem, ut omnem fuget caliginem, ac necessitatem confugiendi ad fidem; sed solutiam, ac quae Theologiae Candidatos doceat de fidei Mysteriis eo, quo fieri potest, modo edisserere, humiliter caeterum, ac captivando intellectum in obsequium fidei.

His modo praemissis, quae inter Theologos celebriores hac super re opinationes adsunt, altera est Richardi a S. Victore *l.* 6. *De Trinit c.* 18., et Alensis 1. *p. qu.* 42., altera D. Thomae 1. *p. qu.* 27. *art.* 1 *et* 2. *c. qu.* 34. *art.* 2., aliae enim vel petitione principii laborant, vel primo fere intuitu leves se produnt, vel demum ad unam ex his duabus revocari possunt. Ille existimat, processionem Verbi esse, ac dici generationem, processionem vero Spiritus Sancti simplicem processionem, quia Verbum accipit a Patre Naturam foecundam ad producendum Spiritum Sanctum, non vero Spiritus Sanctus, qui illam prorsus exhaustam accipit, omnisque foecunditatis expertem.

Aliter tamen D. Thomas arcanum adeo Mysterium conatur eo, quo fieri potest, modo elucidare; statuens 1.°, quod generatio est *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae vi ipsius processionis. Origo*, idest emanatio, prolatio, qua accipiatur

esse, non ex nihilo, prout in creatione, sed de alterius substantia, sumitur namque hic generatio, non active, sed passive; prout nempe est in filio genito. *Viventis*; terminus enim generationis debet esse quid vivens, unde productio metalli in terrae visceribus improprie diceretur generatio. *A vivente principio*, quo significatur, quod nedum tam terminus, quam principium generationis vita debent pollere, unde improprie item diceretur de igne, quod generet ignem, verum etiam, quod ad generationem proprie dictam requiritur actio vitalis a principio vitaliter operante; quae cum defuerit in Ada respectu Evae, dum ab ejus costa fuit educta, hinc quoque improprie Evae productio ex ejus costa diceretur generatio. *Sibi conjuncto*; ut enim ait Aristotiles l. 8. Ethicorum c. 12., *magis conjunctum est id, quod natum est, ipsi, a quo natum est, quam factum ei, quod fecit*, quia scilicet in generatione substantia Patris communicatur Filio vel totaliter, ut in Divinis, vel saltem in parte, ut in creatis; ubi generans partem substantiae suae intrinsecam communicat genito, quo fit, ut filius sit Patris veluti pars. *In similitudinem naturae*, generans namque, et genitum eamdem specie, vel numero naturam habere debent, unde homo dicitur generare hominem, leo leonem, etc. Tandem *vi ipsius processionis*, in omni enim generatione perspicitur, quod ratio, ob quam terminus procedit similis principio in natura, est ipsa actio productiva, quae ita exigit, nec patitur, quod aliud ex tali actione oriri possit. Quae cum sit generationis notio, satis intelligitur, inquit S. D., cur Verbi quidem processio a Patre sit, ac dicatur generatio, non item processio Spiritus Sancti a Patre, et Filio; quia nempe cum Verbum procedat per intellectum, non item Spiritus Sanctus, qui procedit per voluntatem; sitque tantum intellectus suapte natura assimilativus termini ad seipsum, non item voluntas; hinc tantum processio Verbi est, nedum origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae, verum etiam in similitudinem naturae vi ipsius processionis. Sit modo

Prop. 1. De fide est, differre processionem Filii a processione Spiritus Sancti. At quodnam sit inter utramque discrimen, datum creatae menti non est omni seposita obscuritate, explicare.

Prob. 1. pars. De fide enim est, secundam Trini-

tatis Personam et proprie, ac vere esse Filium, et esse Filium Unigenitum; ut ex textibus tract. ant. c. 5. pag. 85. ; et sequ. allatis manifestum est; ex quibus sufficiat hic repetere et illud ad Rom. 8., quod Deus Pater *proprio Filio suo non pepercit.* Et illud D. Joannis ep. 1. c. 5. *Scimus, quod Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus.* Et in Evangelio c. 1. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: quae nuspiam de tertia Trinitatis Persona, idest de Spiritu Sancto, leguntur, qui nec semel, nec verbis saltem aequivalentibus umquam dicitur Filius. Si autem secunda Trinitatis Persona proprie, ac vere est Filius, ejus quoque processio proprie, ac vere dicenda est generatio, nam sicut nemo proprie, ac vere est Pater, nisi generet, ita nemo proprie, ac vere est Filius, nisi generetur. Sicut etiam si est Filius Unigenitus, profecto Spiritus Sanctus non est Filius, ideoque ejus processio non quidem generatio, sed simplex processio dicenda est; ex quo sequitur, quod processio Filii a processione Spiritus Sancti differt: Patet ergo 1.ª propositionis pars. Accedit Symbolum Athanasianum, in quo fides Catholica profitetur, quod *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*: quodque *Spiritus Sanctus a Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturis hujus capitis initio allatis.

2.° Ex PP.; ita enim D. Athan. orat. 3. *Nec investigare convenit, quomodo Verbum ex Deo est, quove modo splendor sit Dei, aut quomodo gignit Deus, quisve ille sit Dei gignendi modus.* Ita quoque D. Chrysost. or. 1. De incomprehensibili Dei Natura: *Scio, ipsum genuisse Filium; quomodo autem, ignoro. Novi, Spiritum ex ipso esse; quomodo autem ex ipso sit, nescio.* Ita quoque D. Basilius hom. 29. *Credis, genitum esse: cave, quaeras, quomodo . . . Cave, quaeras quae investigari non possunt, non enim invenies . . . Crede iis, quae scripta sunt; quae non sunt scripta, ne investiga.* Ita quoque D. Greg. Nazianz. or. 29. *Mihi audire satis est, quod Filius est, et quod ex Patre; tum quod ille Pater est, hic Filius. Nihil praeterea investigo, ac per-*

scrutor, *ne mihi idem accidat*, *quod oculis adversum Solem intuentibus . . . Audis generationem? Modum ne curiosius inquiras. Audis*, *Spiritum ex Patre procedere? Id*, *quomodo fiat*, *ne anxio studio perscruteris.* Ita demum ex Graecis D. Joannes Damascenus l. 1. de fide orthod. c. 8. *Et quidem generationem inter*, *et processionem discrimen intercedere*, *edocti sumus. Caeterum quis sit hujus distinctionis modus*, *prorsus nescimus.*

Ex Latinis vero satis sit D. Aug. l. 2. contra Maximinum c. 14. *Quid inter nasci*, *et procedere intersit*, *de illa excellentissima Natura loquens*, *explicare quis potest? Distinguere inter illam generationem*, *et hanc processionem nescio*, *non valeo*, *non sufficio.*

Quod demum ex infra dicendis clarius quoque patebit. Sit enim

Prop. II. Richardi, et Alensis opinatio prorsus videtur rejicienda. Ita fere communiter.

Probatur. Et 1.° quia nemo Patrum eam fulcit. 2.° quia foecunditas, quae Filio a Patre communicatur producendi Spiritum Sanctum, non absque errore diceretur pertinere ad Naturam, tum quia haec, ut non semel diximus cum Conc. Later. IV., *nec generat*, *nec generatur*, *nec producit*, *nec producitur*, tum quia secus illam quoque acciperet Spiritus Sanctus. Quod si ad Naturam non pertinet, neque etiam per eam dicendum est, Filium procedere in similitudinem Naturae, ideoque esse Filium: Non ergo per eam in similitudinem naturae Filius procedit, ideoque est Filius. 3.° quia si naturae similitudo tum in communione Essentiae, et substantiae, tum in communione foecunditatis reponenda esset, nec Spiritus Sanctus ullatenus esset in Natura similis Deo Patri, et Filio, nec ipse Filius esset perfecte similis in Natura Deo Patri, quippe qui non foecundus, prout Pater, etiam quoad intellectum. De fide autem est, Personas Divinas perfecte sibi similes in Natura esse, ac unum Deum: Falsum ergo, quod Naturae similitudo tum in communione Essentiae, et substantiae, tum in communione foecunditatis reponenda sit, quodque ideo Filius procedat in similitudinem Naturae, ejusque processio dicenda sit generatio, quia Naturam a Patre accipit foecundam ad producendum Spiritum Sanctum. 4.° quia quum de duabus ideis una necessario ingreditur in al-

teram, impossibilis quoque est conceptus unius absque alterius conceptu. Optime autem concipitur generatio, absque eo quod terminus generationis concipiatur foecunditate praeditus; Filius nempe, et tamen infoecundus: Non ergo foecunditatis idea necessario ingreditur in ideam generationis, ita ut ejus et principium, et terminus debeant foecunditate pollere; nec proinde processio Verbi ideo dicenda est generatio, quia per eam Verbum accipit Naturam foecundam ad producendum Spiritum Sanctum. 5.° quia si ad hoc, ut processio dicatur generatio, requireretur, ut terminus generationis esset foecunditate praeditus, quisquis esset infoecundus dicendus non esset genitus. Falsum consequens: Et ergo antecedens, quodque ob allatam a Richardo, et Alensi rationem processio Verbi sit, ac dicatur generatio.

Prop. III. D. Thomae opinatio fulcimento tum auctoritatis, tum rationis non exiguo nititur.

Prob. Et 1.° ex cap. 1. Jo., ubi scribens Evangelista: *Et Verbum caro factum est. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, innuere videtur, ideo Christum esse Unigenitum Dei Patris Filium, quia Verbum. Est autem Verbum, quia procedit per intellectum: Et Unigenitus ergo Dei Patris Filius, quia per intellectum procedit. Idem autem dictu est, quod est Filius Unigenitus Dei Patris, quia ab eo procedit per intellectum, quodque ideo ejus processio est generatio, quia ab eo per intellectum procedit: Ita igitur.

2.° Ex Patribus; ita enim D. Athanasius l. de Decret. Synodi Nic. *Si imaginem nomines, Filium eo ipso indicaveris.* Cum autem intellectus sit imagines rerum referre, idem proinde dictu est, quod ideo est Filius, quia imago, quodque ideo est Filius, quia procedit per intellectum. Ita quoque D. Aug. l. 7. De Trinit. c. 2. *Eo Filius, quo Verbum; et eo Verbum, quo Filius.* Et tract. 48. in Jo. *Verbum Dei semper cum Patre, et semper Verbum; et quia Verbum, ideo Filius.* Cum autem Verbum proprium quoque sit intellectus, idem quoque dictu est, ideo esse Filium, quia Verbum, ac ideo esse Filium, quia procedit per intellectum. Praecipue tamen, et expressius l. 15. De Trinit. c. 27., ibi enim rationem quaerens discriminis, ob quam Spiritus Sanctus non est Filius, *voluntatem* (ait) *de cogitatione procedere, nemo enim vult, quod omnino, quid,*

vel quale sit, nescit; non tamen esse cogitationis imaginem, et ideo quamdam in hac re intelligibili nativitatis, et processionis insinuari distantiam. Quo in loco S. D. videtur propius D. Thomae praeivisse.

„3.° Ratione Theologica; cum enim Filius procedat per intellectum, sitque terminus intellectionis, ac imago subsistens cognitionis, qua Deus Pater unico intuitu Essentiam Divinam, ejusque Attributa, et Personarum Trinitatem, ac caetera omnia cognoscibilia cognoscit, hinc nedum ratione consubstantialitatis, verum etiam vi ipsius processionis est ipsi Deo Patri similis, quemadmodum imago est similis objecto, cujus dicitur imago. At Spiritus Sanctus cum procedat per voluntatem, sitque terminus Amoris, quo Pater, et Filius diligunt Essentiam Divinam, ejusque Attributa, et Trinitatem Personarum, ac caetera omnia diligibilia, hinc est quidem Patri, et Filio similis ratione consubstantialitatis, non tamen vi ipsius processionis, cum amor non sit quid simile rei amatae, sed tantum quoddam voluntatis pondus, inclinatio, impulsio in rem amatam, juxta illud D. Augustini effatum: *Amor meus, pondus meum; illo feror, quocumque feror.* Utque rem exemplo ab ipsa fide petito illustremus, eo fere modo, quo in Eucharistia vi verborum consecrationis Christi Corpus tantum illud est, quod sistitur sub speciebus panis, ejus vero Sanguis, Anima, ac Divinitas per concomitantiam; ita in processione Spiritus Sancti ex Patre, et Filio, vi ipsius processionis procedit tantum Spiritus Sanctus, ut Amor subsistens utriusque, ratione vero unitatis, ac identitatis Naturae Divinae consubstantialis est Patri, et Filio, et unus cum utroque Deus, quia in Deo omnia sunt realiter unum, ubi non obviat relationis oppositio. Ad rationem autem generationis requiritur, ut processio in similitudinem naturae sit vi ipsius processionis: Cum igitur sola Verbi processio sit vi ipsius processionis in similitudinem naturae, non item processio Spiritus Sancti, sola etiam Verbi processio est generatio, non item processio Spiritus Sancti, quae est simplex processio.

Utque idem paullo aliter dicamus, solum Verbum procedit per intellectum, non item Spiritus Sanctus, qui procedit per voluntatem. Est autem intellectus suapte natura assimilativus termini ad seipsum, non item voluntas. Sic dum objectum aliquod intelligo, huic

similis est mea intellectio, quid enim intellectio, nisi ipsius objecti repraesentatio, ac veluti imago? Cumque intellectio, et intellectus re non distinguantur, en intellectus ipsi objecto similis. Dum autem voluntas amore fertur erga aliquod objectum, estne ejus actus similis objecto, erga quod fertur? Haud profecto, sed tantum, ut diximus, quoddam ejus pondus, inclinatio, impulsio erga illud. Qua super re advertatur quoque, nedum proprium esse intellectus generatim sumpti assimilare sibi objectum cognitum, ejusque imaginem exprimere, verum etiam, quod haec objecti imago si ab intellectu creato efformata est solum intentionalis, idest similis objecto, quatenus illud repraesentat, ubi tamen de Deo agatur, est quoque substantialis, cum procul sit ab illa perfectissima Essentia quodvis accidens, nec sit quidquid in eo est, nisi perfectissimum, ac Deus ipse. Sicut quoque advertatur quoad voluntatem, nedum proprium ejus non esse assimilare sibi objectum, sed tantum objecto amantem unire per amorem, ac utrumque unum quid moraliter, et affective efficere, verum etiam, quod utcumque perfectissimum istud unum ex amante, et amato concipiatur, numquam tamen concipitur unum per realem productionem, sed per unionem tantum moralem, et affectivam unius cum alio, nec proinde actio voluntatis dici umquam potest actio assimilativa. Quibus positis, cum ad rationem generationis requiratur, ut diximus, quod processio in similitudinem naturae sit vi ipsius processionis; cumque Verbum procedat Deo Patri similis in Natura vi ipsius processionis, non item Spiritus Sanctus, qui utique procedit quoque similis in Natura Patri, et Filio, sed non vi ipsius processionis, hinc illius processio est tantum generatio, hujus vero nonnisi simplex processio.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Si ideo processio Filii esset generatio, quia est per intellectum, cujus est assimilari sibi objecta, ideoque Filius procedit vi ipsius processionis similis in Natura iis omnibus, quae Pater unico intellectus actu complectitur; sequeretur, quod cum Patris intellectio nedum Essentiam Divinam, ejusque Attribu-

ta, ac Personarum Trinitatem comprehendat, verum etiam, ut diximus, creaturas omnes, his quoque Filius similis in Natura procederet. Falsum consequens: Ergo et quod ejus processio est generatio, quia vi ipsius processionis in similitudinem Naturae procedit.

R. neg. sequ. maj.; cum enim quidquid creatum est, et creabile, non sit, nisi participatio quaedam ad extra Divinarum perfectionum, ac praesens Divinae Menti per ideam ipsius Essentiae Divinae, quatenus est participabilis, et imitabilis a creaturis, tantum proinde abest, ut recte disserit Ludov. Habert De Deo Trino c. 8., qu. 4., *ut Verbum sit imago rerum creatarum, et ipsis simile in Natura, quin immo ipsae creatarae sunt imperfectae ejus imagines, quatenus sunt quaedam participationes Essentiae Divinae, quae in ipso est vi suae processionis, et in qua tam ipsum, quam Spiritus Sanctus omnia vident aeque ac Pater.*

Objic. 2.° Ideo in humanis processio Filii ex Patre est generatio, quia per eam Pater impertit Filio eamdem naturam cum sua. Ut autem fides docet de processione Spiritus Sancti, per eam quoque Pater, et Filius impertiunt Spiritui Sancto eamdem Naturam cum sua: Nedum ergo processio Filii ex Patre, sed processio etiam Spiritus Sancti ex Patre, et Filio dicenda est generatio.

R. 1.° dist. min.; quod nempe Spiritus Sanctus procedit ex Patre, et Filio idem in Natura cum utroque, ratione consubstantialitatis, non vero ratione ipsius processionis. Quare cum solus Filius procedat, ut diximus, in similitudinem Naturae vi ipsius processionis, ideo sola Filii processio est generatio, non item processio Spiritus Sancti. 2.° neg. cons.; quia latissima adest disparitas inter processionem Filii ex Patre in humanis, et inter processionem seu Filii ex Patre, seu Spiritus Sancti ex Patre, et Filio in Divinis. In humanis namque Natura non communicatur, sed producitur, eaque eadem specie, non numero; in Divinis vero Natura non producitur, sed communicatur, eaque eadem non specie, sed numero.

Objic. 3.° Quemadmodum homo de homine procedens est filius hominis, ita et Deus de Deo procedens dicendus est Dei Filius. Est autem Spiritus Sanctus Deus de Deo procedens: Ergo ipse et Filius.

R. dist. min., et neg. cons. eodem modo, quo in resp. ad objiect. praeced.

His demum, quae in Scholis trita sunt, et vulgata, aliam quoque addere volumus propositae quaestionis solutionem, quae traditur a D. Aug. *l.* 15. *De Trinit. c.* 27., ac a Petavio *l.* 7. *c.* 13. *n.* 9. censetur quoque enucleatior. Ita igitur citato loco S. Doctor: *Utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus; quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris, et Matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, et Deum Filium aliquid tale suspicemur, etc.* Quae huc recidunt: Nullus profecto Filius duos Patres habere potest. Porro est quidem Verbum a solo Patre, et ab eo immediate gignitur; Spiritus Sanctus vero est a Patre, et Filio, sive a Patre per Filium: Solum ergo Verbum est Filius, ac sola ejus processio est generatio; Spiritus Sanctus vero dici nequit Filius Filii, quia procedit etiam a Patre, neque etiam Filius Patris, quia procedit per Filium; quare nec Filius dici potest, nec ejus processio est generatio, sed simplex processio.

CAPUT V.

De Divinis Relationibus.

Agendum hic non suscipimus vel de relationibus ad extra, quas Deus habet Creatoris, Domini, etc., vel de relationibus ad intra tribus Personis Divinis ex aequo communibus identitatis, aequalitatis, ac similitudinis; sed de relationibus, quae fundantur in origine unius Personae ab alia. Has porro originis relationes negavit olim inter Personas Divinas, teste D. Thoma 1. *p. qu.* 28. *art.* 2., Praepositivus, qui ineunte Theologia Scholastica floruit, dicens, quod seipsis Personae Divinae tales sunt, non vero vi relationum, seu proprietatum, quibus constituantur, et a se invicem distinguantur. Eum secutus deinde fuit Gregorius Ariminensis *in* 1. *Dist.* 26., *et* 27., nec non quidam Anonymus Gallus; audens quoque hic et Scholasticos Theologos censura quoad Trinitatem inurere, ac docere, aliud in

Divinis non esse Filium, nisi Patris essentiam productam; quod plane Trinitatis Mysterium evertere, advertit olim contra Abbatem Joakimum Conc. Later. IV., cumque eo nos item non semel in hoc libro advertimus.

Adesse tamen inter Personas Divinas originis relationes, quibus et constituuntur in ratione Personae, et distinguuntur a se invicem, et ad se mutuo referuntur, docent caeteri omnes Theologi: nam quemadmodum, ut initio hujus tractatus diximus; ex Trinitate Personarum manifeste fluit, dari in iis processiones, ita ex processionibus aeque fluit 1.º originis ordo inter eas, vi cujus una persona respectu alterius habeat rationem principii, ideoque prius concipiatur; si enim Pater est ingenitus, et a nullo procedens, et principium Filii, et Spiritus Sancti, Filius vero est a Patre, et cum ipso principium Spiritus Sancti, ergo ordine originis Pater prior est Filio, idest prius concipitur, Filius vero ordine originis prior est Spiritu Sancto. 2.º veritas relationum, de quibus hic sermo; definitur enim *relatio ordo unius ad alterum*. Ex processione autem unius Personae Divinae ab alia sequitur inter eas ordo originis, Personae scilicet producentis ad procedentem, ac vicissim procedentis ad eam, a qua procedit: Ergo et mutua relatio. Ac 3.º quod per ejusmodi relationes Personae Divinae et constituuntur in ratione Personae, et distinguuntur a se invicem, et ad se mutuo referuntur; ob omnimodam enim unitatem, ac identitatem Naturae Divinae in tribus Personis, solemne esse debet, ac semper prae oculis habendum, quod numerus, distinctio realis, ac ordo unius ad aliam aliunde haberi nequit, nisi ab oppositione relationis. Negandum quidem non est; unanimes non esse DD. quoad hoc postremum; nam praeter Praepositivum, et Ariminensem, quorum sententiam retulimus, D. Bonaventura *l.* 1. *sent. dist.* 26., *et* 27. docet, Personas Divinas constitui, ac distingui, non relatione, sed origine. Vasquesius 1. *p. disp.* 159. *c.* 5. docet, Personam Patris non constitui per paternitatem, quatenus relatio est, sed per eamdem; quatenus est innascibilitas. Suaresius *l.* 3. *c.* 6., *et* 7, distinguit relationes Divinas secundum suum esse *in*, et secundum suum esse *ad*, ratione scilicet subjecti, in quo sunt, et ratione termini, ad quem illud referunt; aitque, Personas Divinas constitui, ac distingui per relationes secundum suum esse *ad* consideratas. Tandem D. Tho-

*

mas 1. p. qu. 40., cumque eo fere omnes Theologi docent, Divinas relationes constituere Personas, quatenus sunt formae hypostaticae, seu verae proprietates personales.

Quo tandem modo eaedem distinguantur a Dei Essentia, consulantur, ne actum agamus, quae diximus l. 2. tract. 3. prop. 1. et 2., hic enim loci eadem tantum delibabimus. Quod vero ex iis paternitas, filiatio, ac spiratio passiva realiter inter se distinguantur, iisdem nititur argumentis, quibus tract. 1. Personarum Trinitatem ostendimus. Non ita tamen spiratio activa respectu paternitatis, et filiationis, a quibus non realiter, sed tantum formaliter distinguitur. His praemissis, sit

Prop. I. Relationes originis sunt in Deo reales. Ita communiter.

Probatur. Et 1.° quia esse in Deo processiones, jam cap. 1. ostendimus. In omni autem processione principium ordinem, non commentitium, sed realem dicit ad terminum, sicut et terminus ad principium; idque, seu ejusmodi ordo per relationes, de quibus loquimur, significatur: Et hae igitur reales.

2.° Quia Divinas Personas secundum suum esse proprium, ac reale nobis revelans Scriptura, nominibus relativis illas exprimit Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Pater autem ad Filium, sicut et Filius ad Patrem; Spirator ad Spiritum, sicut et Spiritus ad Spiratorem veram quoque, ac realem relationem habet: Quae ergo dantur inter Personas Divinas, relationes sunt reales.

3.° Quia relatio realis dicitur, quae non est merum rationis figmentum, sed a parte rei, et nemine cogitante existit. Ejusmodi autem sunt relationes originis, quae Deo insunt; nemine enim cogitante, Pater dicit ordinem ad Filium, quem genuit, et Filius ad Patrem, a quo genitus est; sicut et Pater, et Filius ad Spiritum Sanctum, quem spirant, et Spiritus Sanctus ad Patrem, et Filium, a quibus procedit: Ergo reales.

4.° Relatio habens et principium, et terminum, et fundamentum reale, realis quoque dicenda est. Relationum autem Divinarum principium est reale, Persona scilicet producens; terminus realis, Persona scilicet producta; fundamentum reale, actio scilicet productiva: Reales igitur.

Ad quae demum accedit, quod, e medio sublatis realibus inter Personas Divinas relationibus, nulla superesset inter eas realis distinctio; ob omnimodam enim, ut non semel diximus, in iis unitatem, ac identitatem Naturae, nonnisi ex reali originis relatione unius ab alia, realis inter eas distinctio oriri potest: *Hoc solo* (ita apposite D. Aug. tract. 39. in Jo) *numerum insinuant, quod ad invicem sunt.* Et D. Anselmus l. de process. Spiritus Sancti c. 11.: *Relationis oppositio, quae ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum de invicem dici, et propria singulorum aliis attribui.* Quod et Conc. Florentinum sess. 18. confirmavit, ubi Joannes Theologus Latinorum partes agens, *in sententia* (ait) *omnium Ecclesiae Doctorum tam Graecae, quam Latinae solam relationem multiplicare Personas in Divinis productionibus*: nec non Conc. Toletanum XI., inquiens in Confessione fidei, Personas Divinas referri relationibus. Quod, cum ita sit, quemadmodum Personae Divinae realiter inter se distinguuntur, ita reales inter eas dicendae sunt originis relationes: Patet ergo magis propositum.

Quod ut paucis dicamus, an non fide constat, quod Personae Divinae distinguuntur inter se realiter? Inter se autem non distinguuntur per Essentiam, cum haec una, eademque sit numero in tribus Personis; neque etiam taliter distingui possunt per entia rationis: Ita ergo inter se distinguuntur per reales relationes, cum nullum aliud distinctionis fundamentum in iis reperiri possit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod ea, quae ad se invicem referuntur, a se etiam dependent, cum unum sine alio cognosci nequeat. Nulla autem in Deo dependentia est vera, et realis: Neque igitur ulla ex ejusmodi relationibus.

R. dist. maj.; quod nempe ea, quae ad se invicem referuntur, a se etiam dependent dependentia connexionis, habitudinis, et cognitionis; non vero dependentia proprie, et stricte sumpta, qualis est inter causam, et effectum, vel quae superioritatem in uno, et inferioritatem in altero arguat. Porro dependentia hujus posterio-

ris generis procul est a Personis Divinis; non vero altera, utpote quae nihil imperfectionis involvit.

Objic. 2.°, quod loquens de Divinis relationibus D. Aug. l. 5. De Trinit. c. 16., ait, eas se habere, *sicut nummus ad pretium*. Et l. 7. c. 1. comparat relationem Dei Patris ad Filium relationi Domini ad servum. Nummus autem non ex vera relatione, sed ex mera Principis voluntate pretio augetur, vel minuitur; nec relatio Domini ad servum est, nisi rationis tantum: Et idem igitur de Divinis relationibus judicium ferendum.

R. neg. cons.; non enim S. D. illis similitudinibus utitur, nisi ad significandum, quod quaedam in Deo absoluta sunt, alia vero relativa: nec est, qui nesciat, similitudines non in omnibus, sed in aliquibus tantum convenire debere.

Objic. 3.°, quod Deus in Scripturis appellatur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, etiamque Creator, Dominus, etc. Sunt autem hae posteriores relationes tantum rationis: Et idem ergo de illis dicendum.

R. neg. cons.; relationes enim Creatoris, et Domini sunt ad extra, accidentales, et adventitiae; at non item relationes, de quibus agimus, quae sunt ad intra, substantiales, et necessariae, ut mox demonstrabimus.

Prop. II. Praefatae originis relationes sunt substantiales, et necessariae. Ita etiam communiter.

Probatur. Ex ostensis enim l. 2. tract. 3. prop. 1. praefatae originis relationes realiter non distinguuntur ab Essentia Divina, nec proinde sunt, nisi ipse Deus; quemadmodum, ut ibi diximus, expresse definitum fuit in Concilio Rhemensi sub Eugenio III., praesente, et praesidente ipso Summo Pontifice, tamquam Fide Divina credendum. Ob Dei autem tum immutabilitatem, tum simplicitatem nihil in eo est vel accidens, vel contingens: Neque ergo ejusmodi sunt praefatae in eo relationes, ideoque substantiales, et necessariae dicendae sunt. Qua super re consulatur etiam, quod diximus initio hujus tractatus c. 1. pag. 159. Nec adversatur D. Aug. inquiens l. 5. De Trinit., quod *relationes Divinae non dicuntur de Deo secundum substantiam*. Respondetur enim, sensum S. D. esse, quod etsi a Dei Essentia realiter non distinguantur, eam tamen distincte, et explici-

te non exprimunt, nec denotant: ex quo fit, quod una est in Deo Essentia, licet plures sint distinctae, ac diversae relationes. Quod autem alius non sit S. Doctoris sensus, ex eo patet, quod expresse idem docet c. 5., quod *in Deo nihil secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est.* Et paullo infra: *Pater, et Filius non secundum accidens ita dicuntur, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum, atque incommutabile est eis.*

Prop. III. Eaedem originis relationes, si accipiantur *concrete*, tres tantum sunt, scilicet Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva. Si vero *abstracte*, sunt quatuor, tres praedictae scilicet, et spiratio activa. Ita quoque communiter.

Probatur. Concrete enim accipiuntur, cum accipiuntur pro ipsis Personis; siquidem nomina concreta sunt, *quae significant rem aliquam cum forma, a qua res illa denominationem aliquam adipiscitur.* Tres autem sunt in Deo Personae: Ergo et tres relationes, si concrete accipiantur. Abstracte vero accipiuntur, cum accipiuntur pro respectu, et ordine, quem dicunt inter Personas Divinas, nomina enim abstracta dicuntur, *quae potius formam, quam illius subjectum significant.* Quatruplex autem est respectus, seu ordo inter Personas Divinas, quia in Patre est ordo generantis ad genitum; in Filio ordo geniti ad generantem; in Patre, et Filio ordo Spirantis ad Spiritum; in Spiritu Sancto ordo Spirati ad Spirans, quem singulari numero enunciamus, quia Pater, et Filius, ex ostensis c. 3. prop. 3., unum sunt, ac unica spiratione Spiritus Sancti principium: Patet ergo propositum. Sive, ut disserit D. Thomas, omnis origo, et processio realis unius ab altero necessario exigit duos respectus oppositos, quorum unus sit procedentis ad principium, a quo procedit; alter ipsius principii ad id, quod ab illo procedit. Quod cum ita sit, cumque in Divinis sint duae processiones, ut ostendimus c. 1. prop. 4., sequitur, quatuor in Deo dicendas esse relationes reales, dum abstracte accipiantur; unam, quae est Patris ad Filium, et vocatur Paternitas; alteram, quae est Filii ad Patrem, et vocatur Filiatio; tertiam, quae est Patris, et Filii in ratione unius principii ad Spiritum Sanctum, et vocatur Spiratio activa; quartam denique, quae est Spiritus Sancti ad Patrem,

et Filium, et vocatur Spiratio passiva: Dum ergo originis relationes, si accipiantur *concrete*, tres tantum in Deo sunt, scilicet Paternitas, Filiatio, et spiratio passiva, si accipiantur *abstracte*, sunt quatuor, tres praedictae scilicet, et spiratio activa.

Nec dicatur, quod cum spiratio activa non distinguatur a Paternitate, ac Filiatione, hinc non quatuor, sed tres tum concrete, tum abstracte dicendae in Deo sunt originis relationes. Respondetur enim, quod equidem spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate, ac filiatione; utique tamen ab iis formaliter, seu quoad conceptum, ideam, notionem, distinguitur, habetque terminum tum a se, tum ab illis realiter distinctum, nempe Spiritum Sanctum. Et sane principium Spiritus Sancti dici nequit sola Paternitas, alioquin Spiritus Sanctus non esset simul a Filio; neque etiam sola Filiatio, alioquin Spiritus Sanctus non esset simul a Patre; neque etiam Paternitas simul, et Filiatio, alioquin principium proximum Spiritus Sancti non esset totum in Patre, nec totum in Filio: Necesse ergo est, ut ejusmodi principium sit quid formaliter distinctum a paternitate, et filiatione, et vocetur spiratio activa. Sit tamen:

Prop. III. Relationes, de quibus loquimur, non distinguuntur realiter ab Essentia Divina, nec ab Attributis absolutis; utique tamen ab iis distinguuntur formaliter. Quod et dicendum de spiratione activa respectu paternitatis, et filiationis. Prima pars est de fide: altera nobis verisimilior.

Probatur 1. pars ex principio pluries repetito, quod, ubi non obviat relationis oppositio, omnia in Divinis sunt unum, et idem, cum nonnisi ex oppositione relationis fundata in origine unius Personae ab alia oriri possit in Divinis distinctio realis. Relationes autem, de quibus loquimur, nec Essentiae Divinae, nec Attributis absolutis relative opponuntur: Neque ergo ab iis distinguuntur realiter; sed unum cum iis, idemque realiter esse, consequens est.

Prob. 2. pars, quod nempe ab iisdem distinguuntur formaliter: 1.° enim ea distinguuntur formaliter, quae licet sint inseparabilia, diversimode tamen concipiuntur. Relationes autem, de quibus loquimur, et Essentia Divina, atque Attributa absoluta, licet inse-

parabilia, diversimode tamen concipiuntur, diversas namque habent ideas, diversas notiones, ac definitiones, nec absque maxima absurditate confundi possunt; ac promiscue sumi: Formaliter ergo inter se distingui, est dicendum. 2.° quia nequit absque manifesta contradictione idem de eodem, et sub eodem conceptu affirmari simul, ac negari. Porro de Essentia Divina, et de Attributis absolutis affirmatur, quod communicantur Filio a Patre, et Spiritui Sancto a Patre, et Filio; de relationibus vero originis affirmatur, quod non communicantur: Non ergo includuntur sub eodem conceptu. Cumque ea, quae non includuntur sub eodem conceptu, formaliter distinguantur, formaliter proinde inter se distingui, quis non videt? 3.° quia quidquid est de conceptu Essentiae Divinae, singulis tribus Personis perfecte convenit, quaelibet enim Persona est vere, et perfecte Deus, ac totam habet Essentiam Divinam, ut definiit Conc. Later. IV. c. 2. illis verbis, quod *quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura Divina.* Relationes autem originis non conveniunt singulis Personis, nam paternitas non convenit Filio, nec filiatio Patri, alióqui Filius esset Pater, et Pater esset Filius: Non igitur relationes, de quibus loquimur, sunt de conceptu Essentiae Divinae, a qua proinde formaliter distingui, magis, magisque perspicuum est.

Prob. 3. pars. Ex allato enim principio nulla in Divinis realis distinctio admittenda est, ubi non obviat relationis oppositio. Porro inter spirationem activam, ac paternitatem, vel filiationem nulla obviat relationis oppositio: Neque ergo inter spirationem activam, ac paternitatem, vel filiationem ulla realis distinctio admittenda est.

Prob. 4. pars, quod nempe spiratio activa tum a paternitate, tum a filiatione formaliter distinguitur. Quae enim diversas habent ideas, notiones, definitiones, ita ut nequeant confundi, ac promiscue sumi, ea, ut diximus, distinguuntur formaliter. Ejusmodi autem sunt spiratio activa ex una parte, et ex alia paternitas, et filiatio: siquidem spiratio activa est id, quo Pater, et Filius constituuntur spirantes; paternitas vero id, quo Pater constituitur in ratione Patris, sicut et filiatio id, quo Filius constituitur in ratione Filii. Item per spira-

tionem activam tam Pater, quam Filius refertur ad Spiritum Sanctum; ubi per paternitatem Pater refertur ad Filium, sicut et per filiationem Filius refertur ad Patrem. Item spiratio activa communis est Patri, et Filio; paternitas vero propria est solius Patris, sicut et filiatio solius Filii. Demum spiratio activa nullam in Deo constituit Personam; paternitas vero, et filiatio Patris, ac Filii Personas constituunt: ex quibus patet, diversas habere ideas, notiones, definitiones, nec posse ullateuus confundi, ac promiscue sumi: Utique ergo spiratio activa tum a paternitate, tum a filiatione formaliter distinguitur. Cui accedit, quod, ut diximus, nequit idem de eodem, et sub eodem conceptu affirmari simul, ac negari, quin manifesta contradictio habeatur. Affirmatur autem de spiratione activa, quod Filio a Patre communicatur, de paternitate vero, quod nec Filio, nec Spiritui Sancto communicatur, quodque est incommunicabilis, sicut et filiatio: Non igitur spiratio activa includitur sub eodem conceptu paternitatis, ac filiationis, a quibus proinde formaliter distingui, est dicendum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicitur 1.° contra 1. partem, quod cum ea, quae sunt eadem uni tertio, sint etiam eadem inter se, hinc si relationes, de quibus agimus, non distinguerentur realiter ab Essentia Divina, neque etiam realiter inter se distinguerentur. De fide autem est, quod realiter inter se distinguuntur, ut supra diximus: Et realiter ergo distinguuntur ab Essentia Divina.

R. dist. maj.; quod nempe ea, quae sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se, si illud tertium, cum quo sunt eadem, sit quid incommunicabile, non vero, si sit quid communicabile. Sic licet duo homines conveniant in Natura humana specifice sumpta, quia tamen haec est communicabilis, non tamen conveniunt inter se. Porro Essentia Divina, cum qua originis relationes idem realiter sunt, non est quid incommunicabile, sed communicabile, a Patre enim communicatur Filio, et a Patre, et Filio communicatur Spiritui Sancto: Patet ergo solutio.

Objic. 2.° contra 3. partem 1.°, quod ea, quae distinctos habent terminos, ac de quibus enuntiantur prae-

dicata contradictoria, realiter dicendum est distingui. Ita autem se habet spiratio activa respectu paternitatis, et filiationis; terminus enim spirationis activae est Spiritus Sanctus, paternitatis vero, ac filiationis Pater, ac Filius; itemque, ut diximus, de spiratione activa enuntiatur, quod est communicabilis, quippe quae Filio a Patre communicatur, de paternitate vero, et filiatione, quod sunt incommunicabiles: Dicendum ergo, quod spiratio activa tum a paternitate, tum a filiatione realiter distinguitur.

R. neg. maj.; ut enim ostendimus l. 2. tract. 3. prop. 1. resp. ad 3., et 4., una, eademque res potest quoque terminos habere realiter distinctos: utque de duobus enuntiari possint praedicata contradictoria, satis quoque est ex ostensis ibidem, quod illa duo formaliter inter se distinguantur. Porro spiratio activa utique, ut diximus, tum a paternitate, tum a filiatione formaliter distinguitur.

Objic. 3.° , quod si spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate, et filiatione, neque etiam spiratio passiva ab illis distinguitur, quippe quae non distinguitur a paternitate, et filiatione, nisi per spirationem activam. Falsum consequens: Dicendum ergo est, quod spiratio activa a paternitate, et filiatione realiter distinguitur.

R. neg. sequ. maj.; utique enim spiratio passiva non distinguitur a paternitate, et filiatione praecise, et immediate, quatenus est paternitas, et filiatio; satis tamen est, quod ab utraque realiter distinguatur, quatenus utraque includit spirationem activam, cum qua utraque unum, idemque est. Qua super re recolendum, quod cap. 2. prop. 5. resp. ad 3. cum Laur. Berti advertimus; scilicet, quod paternitas, quae Deum Patrem constituit, sicut et filiatio, quae constituit Filium Dei, non est sola *paternitas*, sed *Paternitas Dei*, nec sola filiatio, sed *Filiatio Dei*; paternitas, inquam, et filiatio, quae est quidquid est, et illud tantum non est, quod cum ea opponitur relative. Ejusmodi autem Paternitas, ac ejusmodi Filiatio distinguitur a Spiritu Sancto seipsa; non quod foret distincta, etiamsi non esset spiratio, sed quia cum sit quaedam res summa, et contineat quidquid est, praeter id solum, quod cum ea opponitur relative, spirationem quoque activam complectitur.

Objic. 4.° , quod , etsi spiratio passiva nullam habeat oppositionem cum paternitate , ac filiatione , ab iis tamen realiter distinguitur , quia in suppositis realiter distinctis. Quod cum ita sit , aeque etiam , etsi spiratio activa nullam cum paternitate , et filiatione oppositionem habeat , ab iis tamen realiter distingui debet , aeque enim spiratio activa Patris , et filiatio , sicut et spiratio activa Filii , et paternitas reperiuntur in suppositis realiter distinctis : Realiter ergo ex hoc tantum capite ab iis distinguitur.

R. dist. maj. ; quod nempe spiratio passiva nullam quidem habet cum paternitate , et filiatione oppositionem immediatam , utique tamen mediatam , scilicet per spirationem activam , quae est in Patre , et Filio. Falsum vero est , quod ideo spiratio passiva realiter distinguitur a paternitate , et filiatione , quia in suppositis realiter distinctis , secus enim etiam Natura Divina , quae est in Patre , realiter distingueretur a Natura Divina , quae est in Filio , utpote etiam in suppositis realiter distinctis ; sed ideo spiratio passiva a paternitate , et filiatione distinguitur , quia , ut diximus , tum paternitati , tum filiationi inest spiratio activa , quae relative illi opponitur.

Objic. 5.° , quod sicut filiatio mediante spiratione activa opponitur spirationi passivae , ita et spiratio activa , quae est in Patre , mediante paternitate opponitur filiationi. Quod cum ita sit , saltem dicendum , quod spiratio activa , quae est in Patre , realiter distinguitur a filiatione : Saltem ergo id dicendum.

R. neg. maj. ; ideo enim filiatio mediante spiratione activa opponitur spirationi passivae , quia Filius per eam Spiritum Sanctum producit. Pater autem non per spirationem activam , sed per paternitatem producit Filium: Hinc per eam Filius realiter distinguitur a Spiritu Sancto , quia principium realiter distinguitur a termino : non item per eam , sed per paternitatem Pater a Filio distinguitur.

Objic. 6.° , quod cum spiratio activa , quae est in Filio , sit a Patre , hinc se habet ad paternitatem , velut terminus ad principium. Terminus autem , ut diximus , realiter a principio distinguitur : Saltem igitur spiratio activa , quae est Filio , realiter distinguenda est a paternitate.

R. dist. maj. ; quod nempe spiratio activa , quae

est in Filio, est quidem a Patre per communicationem, ac simplicem emanationem simul cum Essentia; non vero, tamquam ab origine, ac principio per veram processionem. Hinc patet solutio.

Prop. IV. Relationes paternitatis, filiationis, et spirationis passivae sunt formae hypostaticae, per quas Personae Divinae constituuntur. Ita fere communiter.

Probatur. Et 1.° ex Conc. Later. IV. sub Innoc. III. c. Firmiter, ubi: *Haec Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, secundum proprietates personales discreta.* Qua super re ait quoque Florentinum sess. 18., in Divina Trinitate *substantiam, et personam, sive hypostasim esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo, ita ut persona constet ex substantia, et proprietatibus.* Quibus concinens Ecclesia in Praefatione Missae de Trinitate, sic canit: *Et in Personis proprietas, et in essentia unitas, et in Majestate adoretur aequalitas.* Proprietates autem, quibus Personae Divinae discernuntur, et constant, ac quae in iis agnoscendae sunt, quatenus personae, nonnisi relationes originis esse possunt; quidquid enim in Divinis non est relativum ob originem unius Personae ab alia, tribus Personis est commune: Hae igitur originis relationes ipsae sunt, quibus Personae Divinae discernuntur, et constant, ac quae in iis agnoscendae sunt, quatenus Personae. Cumque per constitutivum cujusvis rei intelligatur id, per quod res ab aliis discernitur, et constat, quodque in ea agnosci praesertim debet, quatenus ea res est; per formam vero hypostaticam cujusvis personae id, per quod ea in ratione personae constituitur: hinc praefatas relationes formas esse hypostaticas, per quas Personae Divinae constituuntur, consequens est.

2.° Ex dogmate Incarnationis Verbi, quo fide constat, solum Verbum humanam Naturam in unitate personae assumpsisse. Si autem solum hypostatice eam assumpsit, dicendum profecto est, unionem illam perfectam non fuisse in eo, quod commune est Patri, et Spiritui Sancto, secus ipsi quoque eam assumpsissent, sed in eo, quod Verbo est proprium, et singulare: In hoc igitur unio illa Naturae Divinae cum humana perfecta fuit; ex quo sequitur, cuivis Personae inesse aliquid proprium, et singulare ipsius Personae constitutivum. Id autem in relationibus originis unius ab alia agnoscendum est,

cum caetera sint communia: Has ergo originis relationes esse formas hypostaticas, quibus Personae Divinae constituuntur, magis, magisque est perspicuum.

3.° Ex eo quod quaecumque distinguuntur, penes aliquid distingui debent, quod sit in uno, et non sit in alio. Fide autem constat, tres Personas Divinas realiter inter se distingui, nec sine manifesta haeresi Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum pro una, eademque Persona accipi posse: Inesse ergo debet cuivis Personae Divinae aliquid, quod non sit in alia, sed sit ipsius proprium, et singulare. Id autem nequit esse quid absolutum, sed in relationibus originis unius ab alia agnoscendum est, cum caetera, ut diximus, sint communia: Est igitur id relativum, ex origine scilicet unius Personae ab alia proveniens; ideoque per originis relationes, tamquam per formas hypostaticas, seu personales illas constitui, recte dicitur.

Demum, ut fert vulgare effatum, cujusvis rei distinctivum est quoque ipsius rei constitutivum; quemadmodum ratio, quae hominem a brutis animantibus distinguit, est quoque hominis constitutivum; utque aliis, atque aliis exemplis illustrari posset. Per praefatas autem relationes Personae Divinae distinguuntur a se invicem: Et per eas igitur constituuntur; quas proinde proprietates personales, seu hypostaticas esse, dicendum est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod tam a Scripturis, quam a Patribus adeo Personae Divinae praedicantur per omnia similes, et aequales, ut nihil in una sit, quod non est in alia. Qua super re satis sit illud Christi Jo. 16. *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Ac illud D. Aug. l. 3. contra Maximinum c. 14. *Dando aliquid Patri, quod non sit Filii, mendacem facimus eumdem Filium dicentem: Omnia, quae habet Pater, mea sunt.* Quod cum ita sit, nihil singulare, ac proprium dicendum est in una, quod non sit in alia: Non igitur praefatae relationes dici debent proprietates personales, per quas Personae Divinae constituantur.

R. neg., quod a Scripturis, et Patribus, quum inquiunt, Personas Divinas per omnia similes, et aequales

esse, significetur, quod nihil prorsus proprium in una sit, quod non sit in alia, sed tantum, quod unam, eamdemque numero Naturam, ac essentiam habent; idem namque esset dicere, quod nihil habent proprium, quo distinguantur, ac Sabellianismum invehere. Huc proinde referuntur quae ex Lateranensi, et Florentino inter probationes deprompsimus; quibus hic addimus quod ait D. Aug. l. cit. cont. Maximin. c. 10. *Propter uniuscujusque proprietatem personae sunt.* Et D. Hilarius in fragm. 15., *Filium* (ait) *similem esse per omnia Patri, excepta innativitate.* Et D. Greg. Nazianz. or. 24. *Omnia quaecumque habet Pater, Filii sunt, excepta causa. Quid item Filius habet, idem quoque Spiritus Sancti est, si filietatem excipias.* Et D. Joannes Damascenus or. 3. de imag., Filium vocat *per omnia Patri similem, excepta ingeniti proprietate, et paternitate.*

Objic. 2.°, quod Persona significat quid absolutum, non vero quid relativum. Quod si aliquid absolutum, per aliquid hujusmodi debet quoque constitui: Et Personae igitur Divinae per aliquid absolutum, non vero per proprietates relativas constituuntur.

R. dist. maj.; quod nempe persona significat quid absolutum, habita ratione vocabuli, non vero semper, rei significatae ratione habita; ubi enim apud nos quoque persona Episcopi, Principis, Domini, habita ratione vocabuli, denotat quid absolutum, ratione tamen habita rei significatae, refertur ad Dioecesim, subditos, servos, ideoque sunt quid relativum. Cui accedit, nòn esse de Divinis originis relationibus disserendum quomodo de relationibus inter creata: hae enim sunt merus ordo unius ad alterum; illae vero, ut ostendimus, quid subsistens, ac ipse Deus. Quod si haec non satis assequimur, meminisse oportet, quod Trinitatis Mysterium undique tenebris est circumfusum, ac humanae menti impervium.

Objic. 3.°, quod cum omnis relatio debeat niti fundamento, ut ex. gr. relatio paternitatis fundamento generationis, etc.; sitque prius concipiendum fundamentum, quam id, quod illi nititur, ut prius ex. gr. persona generans, quam generatio: nequit proinde quid relativum concipi, nisi prius quam referatur, concipiatur subjectum jam constitutum. Quod cum ita sit, ad concipiendas quoque in Divinis relationes paternita-

tis, filiationis, et spirationis passivae, concipienda prius est, tamquam constituta, Persona Patris, Filii, et Spiritus Sancti; nec proinde eorum Personarum constitutivum dicendae sunt ipsae relationes: Non ergo hae sunt eorum Personarum constitutivum.

R. dist. maj.; quod nempe prius concipiendum est fundamentum relationis, quam ipsa relatio, si haec sit accidentalis, et contingens; non vero si subsistens sit, et necessaria, qua in hypothesi, cum relatio, et fundamentum sint quid simultaneum, una simul quoque concipiuntur, eo fere modo, quo Sol, radius, et splendor. Ejusmodi autem sunt relationes Divinae, subsistentes nempe, ac necessariae, ut ostendimus.

Objic. 4.°, quod nonne relatio Patris supponit generationem, quae actio est? Actio autem supponit personam, actiones enim sunt suppositorum: Et Patris igitur relatio supponit ipsius Patris Personam jam constitutam, cujus proinde constitutivum dici nequit relatio paternitatis.

R. dist. min.; quod nempe actio supponit personam in creatis, quia in creatis actio ab agente distinguitur, at non item in Divinis; quia enim Dei actio ab ipso Deo non distinguitur, sed est ipse Deus, quemadmodum proinde in terminis pugnat, quod aliquid seipso sit prius, ita in terminis pugnat, quod Deus suae actioni supponatur.

Objic. 5.°, quod commune, et solemne est apud omnes, relata simul esse natura, et cognitione. Porro ex Personis Divinis Persona producens prior est Persona procedente: Non igitur per originis relationem unius ad alteram potest constitui.

R. dist. min.; quod nempe Persona producens prior est Persona procedente prioritate originis; non vero prioritate temporis, vel naturae; ex quo sequitur, quod licet relationes, de quibus agimus, prout sunt in subjecto, seu, ut Scholastici inquiunt, secundum esse *in*, objiciantur menti nostrae, tamquam aliquid praesuppositum actioni personae; prout vero referuntur ad terminum per ipsam actionem productivam, seu secundum esse *ad*, objiciantur nobis, tamquam aliquid medium; prout demum dicunt ordinem, seu respectum unius personae, ad alteram, objiciantur nobis, tamquam quid ultimum, ac resultans: a parte rei ta-

men, non sunt tria haec, nisi unum; ipsaque relatio, est, quae personam constituit, distinguit, ac refert.

Objic. 6.° quod spiratio activa, quae est in Patre, et Filio, eos a Spiritu Sancto distinguit, nec tamen eos constituit in ratione Personae Patris, et Filii. Quod cum ita sit, ruit, quod Divinarum Personarum distinctivum sit quoque dicendum earum constitutivum: Et igitur ruit, quod praefatae originis relationes sint formae hypostaticae, per quas Personae Divinae constituuntur.

R. dist. maj.; quod nempe spiratio activa, quae est in Patre, et Filio, eos non constituit in ratione Personae Patris, et Filii, quatenus est spiratio formaliter, et explicite; at non item, quatenus idem est cum paternitate, et filiatione, quae cum sint, ut diximus prope ant. resp. ad 3., paternitas, et filiatio Dei, utraque proinde est quidquid est, et illud tantum non est, quod cum ea opponitur relative.

Prop. V. Divinae relationes, de quibus egimus, veri nominis perfectiones dicendae sunt. Ita communiter.

Probatur. Ex ostensis enim et sunt Deus ipse, utpote indistinctae ab ejus Essentia, nisi tantum formaliter, et sunt formae hypostaticae, per quas Personae Divinae constituuntur, et distinguuntur a se invicem, unde etiam dicuntur proprietates personales. Utrumque autem declarat, veri nominis perfectiones dicendas esse: Patet ergo propositum: ac solum, quia ob oppositionem, quam habent ad invicem, compati simul nequeunt in eadem Persona, docet prae aliis Tournelius De Trinit. quaest. 3., quod dicendae idcirco non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed simplices perfectiones; cujusvis nempe imperfectionis expertes, sed incompossibiles cum relatione opposita in eodem subjecto.

Nec adversatur; quod si essent veri nominis perfectiones, eo ipso, quod Patri deesset filiatio, et spiratio passiva, sicut et Filio spiratio passiva, et paternitas, ac Spiritui Sancto tum paternitas, tum filiatio, tum spiratio activa, totidem quoque iis deessent veri nominis perfectiones; ex quo sequeretur, et quod Persona nec Patris, nec Filii, nec Spiritus Sancti esset infinite perfecta; et quod tam Pater, quam Filius esset Spiritu Sancto perfectior. Falsum autem consequens: Et falsum igitur, quod praefatae relationes sint veri nominis perfectiones.

Respondetur enim neg. sequ. maj.; nam cum tres Personae Divinae sint unus Deus, quaevis proinde perfectio, etiam relativa, quae est in una Persona, est quoque in alia eminenter, et identice ratione ipsius Naturae Divinae, quae in ea est: seu quidquid perfectionis quaevis perfectio relativa habet, est simul in tribus personis ratione Essentiae Divinae, quae in iis una, eademque est numero, estque omnis perfectio: *Perfectus Deus est Pater* (ita apposite Sophronius in Epistola Synodica lecta act. 11. VI. Synodi Gen.), *perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus Sanctus, idcirco quod unam, eamdemque singula quaeque Persona inseparabilem, indiminutam, atque perfectam habet Deitatem.* Sed et consulatur quod diximus c. 1. prop. 4. resp. ad 3.

CAPUT VI.

De Notionibus Divinis; nec non Missione unius Personae ab alia, earumque circuminsessione.

Intelliguntur per Notiones in Divinis *notae quaedam, seu characteres dignitatem exprimentes, quibus Personae Divinae dignoscuntur, et distinguuntur a se invicem, earumque numerus ad ternarium determinatur.* Hinc in rationem notionis tria ingrediuntur: 1.° scilicet, quod ejusmodi nota dignitatem exprimat; cujus conditionis defectu nec ingenerabilitas activa in Filio, nec improductivitas in Spiritu Sancto habent notionis rationem, quia dignitatem non sonant. 2.° quod pertineat ad originem unius Personae ab alia, non enim aliunde, ut saepe diximus, oriri in Divinis potest distinctio, ac numerus, nisi ex relatione fundata in ejusmodi origine; cujus conditionis defectu nec Omnipotentia, quae Patri tribuitur, nec Sapientia, quae tribuitur Filio, habent rationem notionis, quia ad originem non pertinent. 3.° ut sit propria uni, vel tantum duabus Personis, non vero tribus communis, secus per eam Personae Divinae nec dignoscerentur, nec distinguerentur a se invicem, nec definirentur quoad numerum; cujus conditionis defectu nequeunt item Attributa absoluta rationem notionis habere.

Quoad Missionem vero, removenda primum est a

Missione in Divinis quaevis imperfectio, qualis esset Missio per imperium, ut cum servus a Domino mittitur, vel per consilium, ut si Rex dicatur mitti a Consiliariis ad ineundum bellum; nam 1.m subjectionem, alterum ignorantiam ejus, qui mittitur, supponit: ac tantum retinenda est Missio per originem, eo fere modo, quavis imperfectione seclusa, quo flores dicuntur mitti ab arboribus; habere enim ab alio originem, nihil imperfectionis sonat. Quare et nonnulli Veterum processiones Divinas dixerunt identidem *emissiones*. Cum tamen apud eosdem non semper Missio reperiatur sumpta pro origine, seu processione unius Personae ab alia, sed quandoque etiam pro temporali quadam efficientia alicui ex Personis Divinis specialiter tributa; sicut aliquando etiam pro utraque: hinc duplex distinguitur a Theologis Missio in Divinis; alia stricte, et proprie talis, alia large, et improprie. Prima dicitur *processio unius Personae ab alia, adjunctum habens temporalem aliquem effectum, ratione cujus effectus, qui specialiter tribuatur Personae, quae dicitur mitti, incipiat haec in loco, in quo jam erat, novo modo esse.*

Scilicet *processio unius Personae ab alia*, quia nequit missio intelligi, nisi uno ex his modis, vel per imperium nempe, vel per consilium, vel per originem, prout diximus flores ab arboribus mitti. Nec primo autem, nec secundo modo potest intelligi in Divinis; Nonnisi igitur tertio, seu per originem, idest processionem unius Personae ab alia intelligenda est; quae proinde cum deest, deest quoque Missio proprie, ac stricte sumpta. *Adjunctum habens temporalem aliquem effectum*, secus namque haberetur simplex processio, sed nullatenus missio, utpote quae ad aliquod referri debet. *Ratione cujus effectus, qui specialiter tribuatur Personae, quae dicitur mitti, incipiat haec in loco, in quo jam erat, novo modo esse*: 1.m nempe, quia secus nulla esset ratio, cur una potius Persona, quam alia diceretur missa. Alterum, quia ex una parte dici nequit Persona ulla Divina mitti in locum, ubi non erat, cum ob suam immensitatem sit semper ubique. Aliunde vero Persona, quae mitti dicitur, debet de novo fieri praesens in loco, ubi mittitur, vel quoad substantiam, vel quoad modum praesentiae; quare cum Persona Divina

nequeat de novo fieri praesens quoad substantiam in loco Missionis, quasi ab eo esset prius absens, ibi praesens fieri intelligi debet quoad modum praesentiae ratione alicujus effectus. Sic Filius dicitur a Patre in Mundum missus, quia ab ipso Patre procedens incoepit in Mundo esse per carnem assumptam, quae assumptio ei specialiter tribuitur, quia nonnisi ab ejus Persona fuit peracta. Sic etiam Spiritus Sanctus dicitur missus a Patre, et Filio in Apostolos die Pentecostes, quia ab utroque procedens, super eos, in quibus etiam habitabat, descendit in specie linguarum ignearum, suorumque charismatum plenitudine; quae charismatum collatio Spiritui Sancto tribuitur, quia amor est causa omnium donorum, ipseque est Amor subsistens Patris, et Filii.

Haec igitur, seu hactenus explicata Missio stricte, ac proprie. Non deest namque in Scripturis usurpari Missio in sensu etiam lato, et improprio, scilicet pro externa tantum alicujus rei efficientia. Sic Filius dicitur quoque a Spiritu Sancto missus, quemadmodum ipse Christus affirmat Lucae 4., exponens de seipso illa Isaiae verba 61. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me*, quia, licet non procedat quoad Personam a Spiritu Sancto, ejus tamen humanitas etiam a Spiritu Sancto perfecta fuit, cum omnia opera ad extra sint totius Trinitatis; ac speciali titulo Spiritui Sancto tribuitur, quia humanitatem Filius Dei non assumpsit, nisi ob nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, ipseque, idest Spiritus Sanctus, est charitas, ac dilectio subsistens Patris, ac Filii. Diximus tamen, quod quum sumitur hoc posteriori modo, nonnisi large, et improprie sumitur; ob rationem nempe supra allatam, quod missio nequit, nisi uno ex illis modis intelligi, vel per imperium scilicet, vel per consilium, vel per originem; cumque in Divinis nec primo, nec secundo modo possit intelligi, restat, ut nonnisi tertio intelligatur, seu per originem; quae proinde dum deest, deesse etiam debet missio in sensu stricto, et proprio, nec haberi potest, nisi in sensu lato, et improprio.

Duplex item ratione effectuum distinguitur Missio: visibilis nempe, ut Missio Filii ad humanum genus redimendum, et descensus Spiritus Sancti in Aposto-

los die Pentecostes in specie ignearum linguarum; et invisibilis, ut diffusio charitatis in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, juxta illud Ap. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ei autem haec tribuitur ob rationem supra allatum, quia amor est causa omnium donorum, ipseque, idest Spiritus Sanctus, est Amor subsistens Patris, et Filii.

Nemo demum est, qui non videat de Missione proprie, ac stricte sumpta, eam dici simul posse et aeternam, et in tempore: aeternam nempe, secundum habitudinem ad principium; in tempore, secundum habitudinem ad effectum.

Intelligitur tandem per circuminsessionem, ut diximus c. 1. prop. 4. resp. ad 3., intima existentia unius Personae in altera, earum simul distinctione manente quoad Personas, et absque ulla confusione unius cum altera. Quibus praemissis; sit

Prop. I. Admittendae sunt in Deo notiones 5, nec plures, vel pauciores, quam quinque, idest innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva. Prima pars est communis; 2. fere communis.

Probatur 1. pars; admittendae enim in Deo sunt notae, per quas Personae Divinae dignoscantur, et distinguantur a se invicem, earumque numerus ad ternarium determinetur. Non aliud autem intelligitur per notiones, ut supra diximus: Patet ergo propositum.

Probatur 2. pars; ad dignoscendas namque Personas Divinas, easque a se invicem distinguendas necessariae sunt paternitas, qua Pater a Filio; filiatio, qua Filius a Patre; spiratio activa, qua Pater, et Filius a Spiritu Sancto; et spiratio passiva, qua Spiritus Sanctus ab utroque distinguitur. Ad determinandum vero Divinarum Personarum numerum ad ternarium, praefatis quatuor notionibus addenda est innascibilitas in Patre; ne enim in Deo plures cogitentur processiones, quam duae, nec proinde plures Personae, quam tres, necesse est intelligere, et Patrem primum esse aliarum Personarum principium, et ipsum a nullo principio procedere. Id autem non satis intelligitur per paternitatem, non enim qui Pater est, ideo etiam est sine principio, cum alium Patrem habere potest; ex quo sequitur, necesse esse, aliam quoque specialem in eo

admittere notionem, per quam id significetur, cujusmodi est innascibilitas, idest negatio originis: Quinque ergo, quarum supra meminimus, admittendas in Deo esse notiones, consequens est.

Accedit, quod in contemplatione Personae Patris, ut D. Th. disserit 1. p. qu. 23. art. 3., haec tria perspicimus, per quae nobis innotescit; 1.° scilicet, quod a nullo est, sed principium absque principio, unde exurgit innascibilitas. 2.° quod alius ab eo procedit per generationem, unde exurgit paternitas. 3.° quod alius quoque ab eo procedit per spirationem, unde exurgit spiratio activa. In contemplatione vero Personae Filii duo deprehendimus, per quae a nobis dignoscitur; 1.° scilicet, quod ipse est ab alio per generationem, unde exurgit filiatio. 2.° quod ab ipso simul cum Patre alius procedit per spirationem, unde exurgit spiratio activa, quae ipsi communis est cum Patre. In contemplatione demum Personae Spiritus Sancti hoc unum invenimus, per quod nobis innotescit, quod a Patre, et Filio procedit, unde exurgit spiratio passiva. Quod cum ita sit, quinque dicendae in Deo sunt notiones; characteres scilicet, per quos Personae Divinae nobis innotescunt, distinguuntur a se invicem, earumque numerus ad ternarium determinatur: Notiones ergo, quae ex probatis in Deo admittendae sunt, nec plures, nec pauciores in eo a nobis perspiciuntur, quam quinque; innascibilitas scilicet, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod innascibilitas, cum sonet quid absolutum, et nequit Personas distinguere, juxta allatum saepe effatum, quod *omnia in Divinis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio*; et aeque tribuenda est Filio, ac Spiritui Sancto. Quod cum ita sit, expungenda est e notionum numero: Non ergo quinque, sed quatuor dicendae sunt in Deo notiones.

R. dist. maj.; quod nempe sonat quid absolutum, si attendatur praecise; non vero si attendatur complexe cum paternitate, quae cum sit paternitas Dei, hoc ipso absque alia paternitate esse debet, ideoque simul cum innascibilitate, non habens scilicet ab alia paternitate originem, nec aliud agnoscens principium,

Objic. 2.° ; quod innascibilitas est etiam communis Spiritui Sancto. Quod si huic communis, Patris profecto notio dicenda non est : Per hoc saltem ergo e notionum numero expungenda est.

R. dist. maj. ; quod nempe est Spiritui Sancto communis, sumpta pro negatione generationis, non vero sumpta pro negatione originis ; quo posteriori modo nonnisi Patri competit, ac ejus notio dicitur.

Objic. 3.° , quod si admittenda esset innascibilitas in Patre ad significandum, eum a nullo procedere, admittenda aeque esset et ingenerabilitas activa, et inspirabilitas in Filio ad significandum, eum nec alium Filium gignere, nec spirari ; itemque ingenerabilitas tum activa, tum passiva in Spiritu Sancto, ad significandum, eum nec alium Filium gignere, nec ipsum gigni, sed procedere ; ac demum alia etiam notio, significans, tam Filium, quam Spiritum Sanctum a Patre procedere. Falsum consequens : Et ergo antecedens.

R. neg. sequ. maj. ; 1.° quia ad rationem notionis requiritur, ut supra diximus, aliquid dignitatem exprimens ; quod sonat utique innascibilitas, nam licet negantibus verbis expressa videatur, sensu tamen positiva notio est, qua exprimitur Pater, ut primum principium, ac fons non minus totius *Entitatis*, quam ipsius *Divinitatis* ; at deest notis superadditis, ut cuivis consideranti fit perspicuum. 2.° quia, iis sublatis, satis quoque intelligitur, nec a Filio alium generari Filium, nec a Spiritu Sancto alium spirari Spiritum, quia secus neuter esset infinitus, neque enim Filius absorberet in Patre totam vim generandi, nec Spiritus Sanctus in Patre, et Filio totam spirandi vim : Sicut etiam Filium non spirari, sed gigni, quia procedit per intellectum, ideoque vi ipsius processionis in similitudinem naturae, Spiritum Sanctum vero non gigni, sed spirari, quia procedit per voluntatem, ideoque in similitudinem naturae, non ratione ipsius processionis, sed ratione consubstantialitatis : Ac demum tam Filium, quam Spiritum Sanctum procedere a Patre, quia in Patre et est paternitas, qua generat Filium, et est spiratio activa, qua simul cum Filio producit Spiritum Sanctum.

Prop. II. Datur Missio in Divinis unius Personae ab alia, eaque propria, ac stricte sumpta esse nequit,

nisi Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio. Est de fide.

Prob. 1. pars; Filius enim legitur a Patre missus apud Joannem c. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.. Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum; sed ut salvetur Mundus per ipsum.* Et c. 6. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem.* Spiritus Sanctus vero legitur missus a Patre, et Filio Jo. 14., ubi ait Christus: *Haec locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et c. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

Prob. 2. pars; missio enim proprie, ac stricte sumpta includit processionem, ut supra ostendimus. In Divinis autem non datur processio, nisi Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio: Neque igitur missio proprie, ac stricte sumpta esse potest, nisi Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio. Hinc D. Aug. l. contra serm. Arian. c. 4. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod ea quae sunt inseparabilia, ita sunt, ut unum ab alio mitti non possit, prout in corpore membrum aliquod ab alio, nisi a corpore scindatur. Nequeunt autem Personae Divinae ab invicem separari: Ergo nec una ab alia mitti.

R. neg. maj.; non enim missio in Divinis per ullam habetur Personarum separationem, sed tantum, ut diximus, per unius ab alia originem, simul cum productione alicujus effectus temporalis, qui uni potius, quam alteri Personae tribuatur. Nec facessit aliquid allata similitudo; nequit enim in corpore membrum aliquod ab alio mitti, nisi a corpore scindatur, quia cum corpora localiter moveantur, nequit una pars amoveri ab alia, quia amplius non sint in eodem corpore copulatae.

In Divinis tamen nec Persona, quae mittitur, movetur, nec loco, aut natura a mittente sejungitur.

Objic. 2.°, quod loco supra citato, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*, dicitur quoque Filius a Spiritu Sancto missus, tametsi ab eo non procedat. Quod cum ita sit, falsum, quod Missio includat processionem, quodque ideo esse nequeat, nisi Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio: Praeter Missionem igitur Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio, datur quoque Missio Filii a Spiritu Sancto.

R. dist. maj.; quod nempe Filius dicitur cit. loco a Spiritu Sancto missus large, et improprie, quia, ut supra diximus ob humanitatem hypostatice assumptam Christus est vere Filius Dei; ejusque humanitas, licet opus totius Trinitatis, speciali tamen titulo Spiritui Sancto tribuitur, quia humanitatem Filius Dei non assumpsit, nisi ob nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; ipseque, idest Spiritus Sanctus, est Charitas, ac dilectio subsistens Patris, et Filii. Dum autem diximus, quod Missio in Divinis esse nequit, nisi Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio, id diximus non de Missione large, et improprie sumpta, sed de Missione proprie, ac stricte sumpta. Praetermittendum caeterum non est, quod in cit. loco tam *unxit*, quam *misit* referri etiam potest ad *Dominum*, seu ad Patrem: ac forte rectius, ut colligi potest ex illis D. Petri verbis Actuum 10. *Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judaeam; incipiens enim a Galilea post baptismum, quod praedicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Dominus Spiritu Sancto, et virtute.*

Prop. III. Simul cum Trinitate Personarum earum circuminsessionem fides credendam proponit.

Probatur. Intelligitur enim per earum circuminsessionem intima existentia unius Personae in altera, earum simul distinctione manente quoad personas. Quod autem quaevis Persona Divina existat reciproce in alia, manifestum est ex illis Christi verbis Jo. 11. *Ego in Patre, et Pater in me est*; nec non ex unitate, et identitate Naturae Divinae, quae est una, eademque in tribus Personis, non quidem specie, ut in humanis, sed numero. Quod vero id sit absque ulla Personarum confusione, ex eo manifestum est, quod tres Personae Divinae reali-

ter inter se distinguuntur, quemadmodum tract. 1. cap. 4. de fide ostendimus: Patet ergo propositum.

Nec dicatur, quod Paternitas non est Filio, nec Filiatio in Patre. Quare nec Pater in Filio, et vice versa nec Filius in Patre. Quod et dicendum de Spiritu Sancto respectu Patris, et Filii.

Respondetur enim quod nec Paternitas est in Filio, nec Filiatio in Patre, formaliter; seu prout Paternitas, ac Filiatio relative sibi opponuntur: at utique Pater est in Filio, et Filius in Patre identice, seu prout unum, idemque cum Essentia Divina, quae una, eademque est numero in Patre, et Filio. Quod si id tenebris obductum est, meminerimus simul, quod de fidei Mysterio omnium sublimissimo loquimur.

TRACTATUS III.

DE CAUTIONE ADHIBENDA IN LOQUENDO DE TRINITATIS MYSTERIO.

Nullibi major cautio adibenda est, quam in loquendo de Trinitatis Mysterio, si enim profanas vocum novitates devitare in omnibus, quae ad fidem spectant, necesse est, quanto magis castigate loqui necesse erit, ubi agatur de praecipuis ejus Mysteriis, quae nonnisi per Dei revelationem nobis innotescere poterant, ac adeo omnem nostrae mentis aciem superant; ut nonnisi fide duce de iis, ut par est, mortalis homo loqui possit? Hic proinde habenda praesertim sunt prae oculis illa Augustini verba l. 10. De Civ. Dei c. 23. *Liberis verbis loquuntur Philosophi; nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem.* Cum tamen ab ipso hujus libri initio necessitas postulaverit, ut de vocibus essentiae, naturae, substantiae, personae, hypostasis, etc. ageremus, pauca hac super re supersunt explicatu necessaria, quae duobus capitibus absolvemus. Sit itaque.

CAPUT I.

An praedicandae de Deo sint tres subsistentiae relativae, et una absoluta tribus Personis communis; etiamque tres existentiae relativae, et una absoluta.

Subsistentiae idea sumi potest large, et improprie, ac stricte, et proprie. Primo modo sumpta est *ipsa substantiae independentia ab inhaesionis subjecto*; quare et substantia definitur *Ens per se subsistens*, idest independens ab omni subjecto, cui inhaereat. Altero tamen modo, seu stricte, et proprie sumpta, est *id, quo substantia redditur ultimo completa, ac alteri sub tali ratione incommunicabilis*, ut diximus quoque tract. 1. cap. 1.; quare hoc tantum posteriori modo communiter sumitur: efficitque suppositum, si habeat

pro objecto substantiam ratione carentem; efficit vero personam, si rationalem substantiam pro objecto habeat.

Praedicandas porro de Deo esse tres subsistentias relativas; subsistentiam scilicet Patris per paternitatem, subsistentiam Filii per filiationem, et subsistentiam Spiritus Sancti per spirationem passivam, quae proinde dicuntur proprietates personales, quatenus unius tantum personae sunt propriae, nemo Catholicorum negare potest. Praeter eas vero praedicandam de Deo esse aliam quoque subsistentiam absolutam, quae nimirum competat Naturae Divinae a tribus subsistentiis relativis praecisae, contendunt nonnulli ex Theologis cum Scotistis, ajentes, subsistentiam in genere confundendam non esse cum personalitate, nec esse aliud, quam substantiam per se existentem, et completam: quod utique Naturae Divinae per se consideratae, et antecedenter ad tres subsistentias relativas competit. Negant tamen alii communius; si enim, inquiunt, ejusmodi subsistentia absoluta sumatur pro independentia substantiae ab omni inhaesionis subjecto, et ad differentiam accidentium, hoc sensu sumpta, utique praedicari de Deo potest quaedam subsistentia absoluta, eaque una tantum; quemadmodum una in eo est substantia, quae profecto per se existit. Quo sensu ait D. Aug. l. 7. De Trinit. c. 4. *Omnis res ad seipsam subsistit; quanto magis Deus?* At simul, quia subsistentia hoc sensu sumpta nonnisi improprie sumitur, nonnisi etiam improprie talis de Deo subsistentia praedicaretur. Si vero sumatur pro alio quodam substantiae complemento, quod a personalitate distinguatur, profecto, tum quia inintelligibilis, tum quia contra subsistentiae ideam communi, et recepto tum veterum, tum recentiorum usu comprobatam, tum demum, quia ejusmodi subsistentia et inutiliter, et periculose, et contradictorie de Deo praedicaretur, nullatenus praedicandam de Deo, inquiunt.

Haec quoad subsistentias. Quoad existentias vero, omnes conveniunt, tres de Deo praedicandas esse existentias relativas, unamque absolutam. Quare sit

Prop I. Totidem in Divinis praedicandae sunt subsistentiae relativae, quot Personae. Nulla tamen subsistentia absoluta Naturae respondens. Prima pars est de fide. Altera communior.

Prob. 1. pars. Ex ternario enim Divinarum Personarum numero tres quoque dari in Deo subsistentias, manifestum est. Has autem subsistentias relativas esse, patet 1.° ex eo quod sunt plures; in Divinis enim, ut ait D. Fulgentius l. de Trinit., *relativa nomina Trinitatem faciunt, essentialia vero nullo modo triplicantur*; utque nos saepe meminimus, omnia in Divinis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio. 2.° ex Mysterio Incarnationis, in quo fides docet, solam Verbi subsistentiam humanam Naturam assumpsisse; ex quo sequitur, hanc Verbi subsistentiam aliquid dicendum esse ipsi Verbo singulare, et proprium; quare et relativum; cujusmodi idcirco dicenda et est subsistentia Patris, et Spiritus Sancti: Quot Personae igitur, totidem in Divinis subsistentiae relativae praedicandae sunt.

Prob. 2. pars. Si enim subsistentia absoluta, quam de Deo praedicandam quoque esse, contendunt Scotistae, est et inintelligibilis; et contra subsistentiae ideam tum veterum, tum recentiorum usu comprobatam, et demum inutiliter, periculose, et contradictorie de Deo praedicatur, dicendum profecto, praedicari de Deo non debere. Ita autem res se habet; quod enim sit inintelligibilis, cuivis consideranti fit perspicuum. Quod vero sit contra communiter receptam subsistentiae ideam, innumeris tum veterum, tum recentiorum testimoniis, nisi longum, et molestum esset, probari posset. Quod demum de Deo praedicetur *inutiliter*, ex eo patet, quod inutiliter praedicaretur tum de Natura Divina, utpote quae non subsistit, nisi in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, tum de Personis Divinis, utpote quae suis respectivis subsistentiis subsistunt. *Periculose* vero, ex eo quod daretur occasio admittendi in Deo quaternitatem, sin personarum, saltem rerum; quidnam enim illud aliud complementum substantiae Divinae, nec cum esse substantiae, quatenus ab accidentibus distinguitur, nec cum ejus personalitatibus confundendum, nisi aliud in Deo praeter Personarum Trinitatem? Etiamque *contradictorie*, nonne enim contradictorium dictu, quod Naturam Divinam compleret simul, et non compleret, redderet simul, et non redderet incommunicabilem, esset tandem, et simul non esset communis Personis Divinis? Compleret autem, et simul non compleret Natu-

ram Divinam ; 1.m ex hypothesi ; alterum, siquidem Natura Divina ulterius compleretur a subsistentiis relativis. Eam item redderet, et simul non redderet incommunicabilem ; 1.m ; cum Ens complete existens sit incommunicabile, alterum ; cum nihilominus a Patre communicaretur Filio, et a Patre, et Filio communicaretur Spiritui Sancto. Tandem esset, et simul non esset communis Personis Divinis ; 1.m, quia quidquid absolutum est, tribus Personis Divinis est commune; alterum, quia substantia complete existens sonat quid singulare, proprium, et incommunicabile. Quibus perpensis, praedicandam de Deo non esse subsistentiam illam absolutam, consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° contra 2. part., quod subsistentia absoluta est profecto perfectio simpliciter simplex. Omnis autem perfectio simpliciter simplex est Deo tribuenda: Et subsistentia igitur absoluta ejus Naturae tribuenda est.

R. neg. maj.; dicenda enim non est perfectio simpliciter simplex, quae cum alia perfectione sit incompossibilis. Ejusmodi autem esset subsistentia absoluta, quam Naturae Divinae tribuendam esse, contendunt Scotistae, quippe quae cum ejusdem foecunditate incompossibilis esset; nam quemadmodum subsistentiae relativae reddunt Divinam Naturam relative incommunicabilem, ita subsistentia illa absoluta eam quoque redderet absolute incommunicabilem; quo posito, esset plane cujusvis foecunditatis expers, ideo enim est foecunda, quia a Patre communicatur Filio, et a Patre, et Filio communicatur Spiritui Sancto: Non igitur subsistentia absoluta, qua Dei Natura gauderet, cum ejus foecunditate esset compossibilis, ideoque nec perfectio simpliciter simplex.

Objic. 2.°, quod Deus antecedenter ad suas relationes concipitur operans. Operationes autem sunt suppositorum: Antecedenter itaque ad suas relationes concipitur subsistens; utique per subsistentiam absolutam.

R., neg. maj. cum enim Deus sit Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, hinc falsum, quod antecedenter ad suas relationes concipiatur operans. Cui accedit, quod si ar-

gumentum valeret, probaret simul, quod in Deo antecedenter ad suas relationes concipiatur suppositum, seu persona, ex quo sequeretur quaternitas Personarum.

Objic. 3.°, quod operatio, et relatio sequitur esse; prius enim aliquid esse debet, inde operari potest, et referri ad aliud; ex quo sequitur, quod Deus antecedenter ad suas operationes, et relationes concipitur esse. Omnis autem substantia, modo non sit pars alterius substantiae, hoc ipso, quod est, jam subsistit, nec Deus est alterius substantiae pars: Deus igitur antecedenter quoque ad suas operationes, et relationes jam concipitur subsistens; utique profecto per subsistentiam absolutam.

R. dist. maj; quod nempe operatio, et relatio sequitur esse in creatis, ubi actio, et relatio a subjecto distinguitur; non vero in Divinis, ubi actio, et relatio ab ipso Deo non distinguitur; ex quo sequitur, quod sicut repugnat, aliquid seipso esse prius, ita et repugnat, quod Deus sua actione, suisque relationibus sit prior. Cui etiam accedit, quod si argumentum valeret, sequeretur quoque in Deo Personarum quaternitas.

Objic. 4.°, quod antecedenter ad suas relationes concipitur Deus cuivis creato supposito incommunicabilis. Incommunicabilitas autem est subsistentiae effectus: Antecedenter itaque ad suas relationes jam concipitur subsistens, ac ob idipsum per subsistentiam absolutam.

R. 1.° neg. maj.; non enim Deus, nisi Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. 2.° dist eamdem maj.; quod nempe Deus antecedenter ad suas relationes concipitur cuivis creato supposito incommunicabilis ob suam infinitatem, non vero per subsistentiam aliquam absolutam. 3.° neg. cons.; nam si argumentum valeret, sequeretur quoque ex eo quaternitas in Deo Personarum.

Prop. II. Nihil obstat, quin in Divinis dicamus tres existentias relativas, et unam absolutam.

Prob. 1. pars; existit enim Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, qui ratione Personae realiter inter se distinguuntur. Idem autem hoc dictu est, quodque et existit Persona Patris, et existit Persona Filii, et existit Persona Spiritus Sancti, secus enim non distinguerentur inter se realiter ratione Personae, quas item referri ad se invicem, Patrem scilicet ad Filium per paternitatem, Filium ad Patrem per filiationem, ac Spiritum Sanctum ad Patrem, et Filium per spirationem passivam, relati-

ve oppositam spirationi activae, quae in Patre, et Filio residet, et ratione cujus Pater, et Filius respectum habent ad Spiritum Sanctum, jam non semel diximus: In Deo igitur tres dari existentias, easque relativas, manifestum est. Accedit, quod dum Filius gignitur, ac Spiritus Sanctus producitur, aliqua profecto existentia producitur, omnis enim productio ad aliquam terminat existentiam. Non producitur autem existentia absoluta Naturae Divinae: Producitur ergo ejus existentia relativa, scilicet filiationis, et spirationis passivae; quibus addita Paternitatis existentia, tres in Deo dari existentias, easque relativas, magis, magisque perspicuum est.

Prob. 2. pars; quum enim Pater communicat Divinam Naturam Filio, illam ei communicat existentem; quod et patet de Patre, et Filio respectu Spiritus Sancti, qui ab utroque procedit. Non autem existentem relative: Absolute ergo existentem; ex quo sequitur, quod praeter existentias relativas dicenda quoque est in Divinis existentia absoluta, Naturae Divinae respondens.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° contra 1. partem, absurdum videri, uni, eidemque rei duplicem tribuere existentiam. Cum autem Personae Divinae realiter non distinguantur a Natura Divina, sed unum, idemque cum ea sint, si praeter existentiam absolutam Naturae Divinae, qua existunt, quadam etiam propria, et singulari existerent, duplex iis tribueretur existentia: Non igitur, nisi una Essentiae, seu Naturae absoluta existentia existunt.

R. negando absurdum esse, uni, eidemque rei sub diverso respectu duplicem existentiam tribuere, ideoque Personis Divinis, prout a Natura Divina realiter non distinguuntur, sed unum, idemque cum ea sunt, absolutam ipsius Naturae Divinae existentiam; prout vero distinguuntur a se invicem, suam unicuique propriam, ac singularem existentiam tribuere. Nec inde in Deo sequitur ulla rerum quaternitas; cum enim relationes ab Essentia Divina realiter non distinguantur, sed sint una, eademque entitas, non quaternitas proinde, sed trinitas est in Deo agnoscenda.

Objic. 2.°, contra 2. partem, quod in Divinis, ut diximus, nulla admittenda est subsistentia absoluta Na-

turae Divinae respondens. Quód si admittenda haec non est, aeque etiam dicendum, nullam in Divinis dari existentiam absolutam, Naturae Divinae respondentem: Non ergo datur ejusmodi existentia absoluta, Naturae Divinae respondens.

R. neg. sequ. min., et paritatem; ex ostensis namque et inutiliter, et periculose, et contradictorie de Natura Divina praedicaretur subsistentia absoluta illi respondens: dum e contrario nedum nihil ejusmodi dici potest de existentia absoluta, quae illi respondeat, verum etiam, quia nihil communicari potest, nisi quod existit, neque etiam, nisi existeret, communicari ea posset Filio a Patre, et Spiritui Sancto a Patre, et Filio. Cumque incommunicabilis sit, prout existens relative, restat, ut communicabilis dicatur, prout existens absolute.

Objic. 3.°, quod, quia spiratio activa est realiter eadem cum paternitate, et filiatione, nulla spirationi activae tribuitur existentia, quae illi respondeat. Est autem Natura Divina realiter quoque eadem cum Personis Divinis: Neque igitur Naturae Divinae tribuenda est existentia illi respondens, idest absoluta.

R. 1.° neg. cons., et paritatem; nam spiratio activa est quid relativum, Natura autem Divina est quid absolutum. 2.° dist. cons.; quod nempe Naturae Divinae tribuenda non est existentia realiter distincta ab existentiis relativis, quibus Personae Divinae existunt; non vero existentia absoluta illi respondens, ac simul realiter eadem cum existentiis illis relativis, quemadmodum ipsa Natura Divina est realiter unum, idemque cum Personis Divinis.

CAPUT II.

De quibusdam regulis generalibus, ne erretur in loquendo de Trinitatis Mysterio.

Et 1.° cum essentiae, naturae, ac substantiae voces idem in Divinis significent, nec juxta communiter receptam significationem distinguantur; saltem modo, persona, et hypostasis, quemadmodum diximus in ipso hujus libri initio tract. 1. cap. 1.; cavendum proinde est, ne loquendo de Trinitate contradicatur umquam, quod tres in Deo sunt Personae, seu hypostases, ac si-

mul una, eademque in iis est Essentia, Natura, ac substantia.

2.° Cum Trinitatis Mysterium duobus concludatur, Personarum scilicet distinctione, et Naturae unitate; ubi idcirco agatur de Personis, eas voces cavere, prae oculis habendum est, quae confusionem, permixtionem, unionem, identitatem, ac complexionem exprimant: ubi vero agatur de Natura, eas, quae divisionem, distinctionem, separationem, partitionem, diversitatem, inaequalitatem, numerum designent.

3.° Idcirco, ubi de Trinitate sermo fiat, unitas referri semper debet ad Naturam, Trinitas ad Personas; ac singulari semper numero utendum, quoties sermo referatur ad Naturam, plurali vero, quoties sermo referatur ad Personas. Hinc ob r.m reprobat D. Aug. l. 15. De Trinit. c. 23. propositionem, quod *in Deo sit Trinitas*. Quod et confirmans anno 675. XI. Synodus Toletana: *nec recte* (ait) *dici potest*, *ut in Deo sit Trinitas*, *sed unus Deus Trinitas*: dumque dicitur proinde in Symbolo Athanasiano, quod *Unitas in Trinitate*, *et Trinitas in unitate veneranda sit*, incomplexe est id intelligendum, ut scite advertit Laurentius Berti De Theol. Discipl. l. 9. c. ult.; ita nempe, ut nec Unitas invehat confusionem in Personis, nec Trinitas numerum in substantia. Ob alterum vero ideo in eodem Symbolo Athanasiano prius dicitur, quod *non tres aeterni*, *sed unus aeternus*, quia dictio refertur ad Essentiam, quae una, ac singularis est in tribus Personis; deinde dicitur, quod *totae tres Personae coaeternae sibi sunt*, *et coaequales*, idemque aeternitatis Attributum plurali numero praedicatur, quia dictio refertur ad Personas, quarum pluralitas, seu Trinitas, plurali quoque numero aeternitatis Attributum sibi vindicat. Ita laudatus Berti l. cit., qui ab aliis Theologis in hoc recedit, ajentibus, ideo prius Symbolum Athanasianum profiteri, quod *unus aeternus*, *unus immensus*, *unus omnipotens*, quia Attributa aeternitatis, immensitatis, et omnipotentiae *substantive* sumit; deinde, quod *totae tres Personae coaeternae sibi sunt*, *et coaequales*, quia praefata Attributa *adjective* accipit; utrobique enim adjectiva esse, quisnam Grammatices peritus non videt? Dicendum proinde, quod cum prius sint adjectiva nominis *Dei*, singulariter; deinde, utpote adjectiva nomi-

nis *Personae*, pluraliter enuntiantur. Quomodo tamen enuncianda sint in Divinis nomina tum substantiva, tum adjectiva, qua majori fieri potest claritate, videamus. Igitur

4.° Nomina substantiva, ut Deus, Dominus, etc., praedicanda semper sunt in numero singulari. Sunt enim nomina substantiva, ut ipsum etymon sonat, nomina substantiam significantia. Haec autem, utpote una in tribus Personis, singulari semper numero praedicanda est: Et singulari igitur numero omnia etiam nomina eam significantia praedicanda sunt. Hinc unus Deus, unus Dominus, etc. . Nec facessit, quod plures sint Personae habentes Divinitatem: ut enim prae aliis disserit Tournelius De Trinit. quaest. ult. in fine, cum nomen Deus sit omnino substantivum, non exprimit secundum suam propriam significationem ipsum habentem Divinitatem, sed exprimit, et significat ex se Supremum illud Ens, quod a se, et necessario existit. Hinc dici equidem potest, tres esse habentes Divinitatem, quia tres sunt Personae Divinae; non tamen dici potest, tres esse Deos, quia nomen Dei omnino substantivum est. Ob quam rationem nedum dicendum est *unus Deus*, *unus Dominus*, verum etiam, ut profitetur Symbolum Athanasianum, *unus omnipotens*, *unus aeternus*, *unus immensus*; quia enim nonsisi Deus est, et esse potest omnipotens, aeternus, immensus, ac ideo Pater est omnipotens, aeternus, immensus, sicut et Filius, et Spiritus Sanctus, quia unus Deus; nomina idcirco sunt *omnipotens*, *aeternus*, *immensus*, quae nonnisi substantive sumi possunt, seu quorum enunciatio immediate, et in recto nonnisi ad Dei substantiam, essentiam, naturam referri potest.

5.° Quoad nomina adjectiva absoluta, in abstracto sumpta, et mutuo de se praedicantur, ipsaque etiam semper singulariter usurpanda sunt. In abstracto enim sunt nomina formam potius significantia, quam illius subjectum; iisque taliter enunciatis, vel iis exprimitur ipsa Dei Essentia, quae una est, vel aliqua ejus perfectio, spectans scilicet ad ejusdem Essentiae unitatem. In Divinis autem tam Essentia, quam Attributa essentialia nec inter se, nec a Personis realiter distinguuntur, sed sunt unum, idemque: Quoad rem igitur, nedum recte de se mutuo praedicantur, ideoque recte dicitur: *Pater est Divinitas*, *Filius Divinitas*, *Spiritus Sanctus Divini-*

tas, et vicissim; *Divinitas est Omnipotentia*, et vicissim; *Omnipotentia est aeternitas*, et vicissim: verum etiam, cum essentia, a qua realiter non distinguuntur, pluralitatem excludat, sed sit una, neque etiam numero plurali, sed singulari praedicanda sunt; ac nefas dictu esset, quod sint tres Divinitates, tres omnipotentiae, tres aeternitates, etc. Idem tamen dicendum non esse de nominibus adjectivis relativis, cuivis consideranti fit perspicuum: haec enim utique etiam in singulari numero sunt praedicanda, cum una in Divinis sit Paternitas, una filiatio, etc.: quia tamen realiter quidem nec ab Essentia, nec ab Attributis essentialibus absolutis distinguuntur, at distinguuntur inter se realiter; quoad rem idcirco recte etiam dicitur: *Divinitas est Paternitas*, et vicissim: *Paternitas est Omnipotentia*, et vicissim; at nefas dictu esset: *Paternitas est Filiatio*, et vicissim: *Spiratio activa est spiratio passiva*, et vicissim.

6.° Quoad Nomen omnino, ut diximus, substantivum *Deus*, nisi illud restringatur per aliquid notionale, vel notionali aequivalens ad unam, vel duas Personas, sed ponatur absolute, significat semper Essentiam Divinam in tribus Personis subsistentem. Sic cum dicitur *Deus creat*, *Deus gubernat*, etc. Si vero adjunctum habeat aliquid notionale, vel notionali aequivalens, tunc eam tantum Personam significat, cujus est illa notio, vel duas, si eadem notio duabus competat. Sic *Deus innascibilis*, *Deus generans* significat Patrem: *Deus genitus* significat Filium: *Deus spirans* significat Patrem, et Filium. Quoad abstractum vero Nominis Dei, quale est Divinitas, cum haec significet Essentiam spectatam in se, non peculiari proprietate distinctam; hinc cavendum est, ne umquam dicatur: *Divinitas generat*; *Divinitas generatur*; *Divinitas procedit*; quem loquendi modum proscriptum fuisse a Conc. Later. IV. sub Innoc. III., non semel diximus.

7.° Cum *aliud* significet rem, non personam, cavendum quoque est, ne una Persona, tametsi *alia* ab altera, dicatur tamen *aliud* ab altera; quemadmodum advertit D. Aug. tract. 36. in Jo. *Alius est* (inquiens), *recte dicitur*; *aliud*, *non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse, qui Pater; et alius*

Pater, *quia non est ipse*, *qui Filius* : *non tamen aliud*, *sed hoc ipsum est et Pater*, *et Filius*. Item cavendum, ne Deus, quia *trinus* in Personis, ideo etiam dicatur *triplex*; trinum enim significat numerum trium, qui Personis Divinis respondet. At triplex significat rem, cui numerus tribuitur, esse triplicatam, quod nefas dictu de Essentia Divina. Quare idem D. Aug. l. 6. De Trinit. c. 1. *Nec quoniam* (ait), *Trinitas est*, *idea triplex putandus est* ; *alioquin minor erit Pater solus*, *aut Filius solus*, *quam simul Pater*, *et Filius*. Et D. Th. 1. p. qu. 31. art. 1. ad 3. *Trinitas absolute dicitur*, *significat enim numerum ternarium Personarum*. *Sed triplicitas significat proportionem inaequalitatis*. Utique tamen sano, et catholico sensu dici in Deo possunt, cum adjectione tamen termini relativi, tres res, tria entia, tres existentiae, tres unitates, tres veritates, tres bonitates; ut enim disserit Tournelius l. cit., sunt in Deo tres Personae, quae habent tres relationes realiter distinctas. Porro illae relationes, seu proprietates personales, sunt reales : ergo dici possunt tres res. Existunt : ergo dici possunt, habere tres existentias, ac esse tria entia relativa. Numerum faciunt ternarium : ergo dici possunt tres unitates. Verae sunt, ac perfectae : ergo dici possunt tres veritates, tres bonitates ; modo semper addatur *relativae*. Ne tamen offendiculo sint, satius semper erit ab ejusmodi locutionibus abstinere : quas caeterum carpere, prohibet quoque eas reperiri et apud D. Augustinum, qui l. 1. De doctrina Christ. c. 3. scribit, tres Personas Divinas esse tres res, quibus fruendum est nobis ; et apud D. Anselmum, qui l. De Incarn. c. 3. sic habet : *Nihil prohibet*, *duas Personas*, *Patrem*, *et Filium*, *dicere duas res*.

8.° Demum dum per appropriationem Patri speciali quodam titulo tribuitur Omnipotentia, ac Mundi creatio, quia per communicationem Naturae ipse est, qui communicat Filio, et Spiritui Sancto potentiam creandi : dum Filio speciali quodam titulo tribuitur Sapientia, quia est terminus subsistens, seu personalis intellectionis, qua Deus Pater omnia intelligibilia comprehendit : dum tandem Spiritui Sancto speciali quodam titulo tribuitur largitio omnium donorum, quia Amor est causa omnium largitionum, ac ipse est terminus subsistens, et personalis Amoris, quo Pater, et Filius

diligunt omnia diligibilia ; quemadmodum suis in locis declaratum est : cavendum simul , ne appropriatio ejusmodi sumatur exclusive , quasi quae absoluta sunt, ac caeterum uni Personae tribuuntur , alteri etiam non inessent ; sed illud semper extra dubium sit , quod exceptis proprietatibus personalibus , quae sibi relative opponuntur , caetera omnia aeque insunt singulis Personis , utpote in quibus una , eademque numero est Natura. Pro quotum omnium coronide

Uni , Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria ;
Qui vitam sine termino
Nobis donet in Patria.

FINIS TERTII VOLUMINIS.